

# Stanisław Styś

---

## De antithesi "Eva - Maria" eiusque relatione ad Proteo-evangelium apud Patres

---

Collectanea Theologica 23/3-4, 318-365

---

1952

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

P. STANISLAUS STYŚ S. I.

DE ANTITHESI „EVA — MARIA“ EIUSQUE RELATIONE  
AD PROTOEVANGELIUM APUD PATRES <sup>1)</sup>

Non est mihi in animo materiam hanc plene ac fuse tractare eo modo, ut omnes et singulos scriptores aetatis patristicae explorem, qui antithesim „Eva — Maria“ in suis operibus proponunt, ut inde appareat, utrum Patres hanc antithesim e noto textu Protoevangelii (Gen 3, 15) repetant

---

<sup>1)</sup> Abbreviationes adhibitae:

BARDENHEWER: O. BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*. 2. Aufl. Freiburg i. B., I, 1913; III, 1923.

BK: *Bibliothek der Kirchenväter*. Herausgegeben von O. BARDENHEWER, Th. SCHERMANN, K. WEYMAN. Kempten u. München, 1911 ss.

DREWNIAK: Leander DREWNIAK O. S. B., *Die mariologische Deutung von Gen. 3. 15 in der Väterzeit*. Breslau 1934.

DTC: A. VACANT — E. MANGENOT — E. AMANN, *Dictionnaire de Théologie catholique*. Paris 1903 ss.  
Egzegetyczne podstawy: St. STYŚ T. J., *Egzegetyczne podstawy tłumaczenia maryjnego Rozdz. 3, 15 in Roczniki Teologiczno-Kanoniczne* 1 (1949) 11—109 et separatim editum.

GALLUS: T. GALLUS S. J., *Interpretatio mariologica Protoevangelii (Gen 3, 15) tempore post-patristico usque ad Concilium Tridentinum*. Romae 1949.

necne. Neque tamen eiusmodi labor, quamquam in se utilis-  
simus, est pro nostro scopo necessarius. Sufficit enim, si ab  
iis exordimur, quae e virorum doctorum inquisitionibus hu-  
cusque factis cum certitudine erui possunt. Sunt autem duo  
opera hisce ultimis decenniis in lucem edita, quae de inter-  
pretatione mariologica Protoevangelii historico modo „ex pro-  
fesso“ agunt: aliud nimirum a P. Leandro Drewniak scrip-  
tum de aetate patristica litterarum ecclesiasticarum<sup>2)</sup>, aliud  
vero, quod P. Tiburtius Gallus de aetate postpatristica usque  
ad Concilium Tridentinum protulit<sup>3)</sup>. Ille negat omnino Pa-  
tres antithesim „Eva — Maria“ a Protoevangelio repetisse  
aut cum eo connexisse<sup>3)</sup>. Hic e contra asserit aliquos Patres,  
Iustinum nempe, Irenaeum, Epiphanium, Chrysippum huius  
connexionis auctores esse, apud reliquos vero Patres illam  
antithesim sine connexionione cum Gen 3, 15 inveniri<sup>4)</sup>. Cum  
T. Gallus in prima sui libri sectione dicta auctorum temporis  
patristici, quasi recolendo opus L. Drewniak, iterum analysi  
subiecerit atque in toto opere inclinatus appareat ad quam  
plurima testimonia pro mariologica interpretatione Protoevan-

G C h S: Die griechischen christlichen Schrift-  
steller der ersten drei Jahrhunderte. Heraus-  
geg. von der Kirchenväter-Kommission der königl. preussischen  
Akademie der Wissenschaften. Leipzig 1897 ss.

M G: J. - P. MIGNE, Patrologiae cursus comple-  
tus. Series graeca.

M L: J. - P. MIGNE, Patrologiae cursus completus.  
Series latina.

P O: Patrologia orientalis, par R. GRAFFIN, F. NAU.  
Paris 1903 ss.

P O K: Pisma Ojców Kościoła. Pod red. J. SAJDAKA.  
Poznań 1924 ss.

T U: Texte und Untersuchungen zur Geschich-  
te der altchristlichen Literatur. Herausgeg.  
von O. von GEBHARDT und A. HARNACK (inde a vol. 31:  
A. HARNACK und C. SCHMIDT). Leipzig 1882 ss.

<sup>2)</sup> Cf. supra sub n.l.

<sup>3)</sup> DREWNIAK, 2.

<sup>4)</sup> GALLUS, 170.

gellii colligenda, eius assertum, in quantum coarctans est, plenam fidem meretur, ac proinde ius nobis vindicamus hac confessione admissa nostram inquisitionem ad quattuor praefatos Patres restringendi.

T. Gallus nimirum, quamquam ex conducto abstinet ab inquirendo in textus, qui antithesim „Eva — Maria“ sine ulla allusione ad Gen 3, 15 continent<sup>5)</sup>, tamen via obliqua omnes istos plurimos textus aetatis patristicae interpretationi mariologicae Protoevangelii annumerat. Asserit enim in parte synthetica operis: „Iustini et Irenaei antithesis „Eva — Maria“ cum Gen 3, 15 connexa — quod postea etiam apud Epiphanium et Chrysippum occurrit — est fundamentum omnis interpretationis christologico-mariologicae“<sup>6)</sup>. Paulo post autem agens de plurimis textibus Patrum Orientalium et Occidentalium in quibus antithesis „Eva — Maria“ non apparet connexa cum Gen 3, 15, dicit: „Cum Patres Graeci sint dicendi antesignani antithesis „Eva—Maria“ cum Gen 3, 15 coniunctae (Iustinus, Irenaeus, Epiphanius), valde probabile est reliquos Patres Graecos et Latinos in eorum antithesi „Eva—Maria“ ab illis praecursoribus dependere“<sup>7)</sup>. Inde vero mox concludit interpretationem mariologicam Protoevangelii aetate patristica virtualiter latere in antithesi „Eva — Maria“, „etiam sine relatione ad Gen 3, 15 expressa“<sup>8)</sup>.

Quae conclusio et asserta, e diametro opposita assertis P. Drewniak, dubito an solido fundamento nitantur. P. Gallus debuisset ostendere: 1<sup>o</sup> apud praefatos Patres nexum inter antithesim „Eva — Maria“ et interpretationem mariologicam Gen 3, 15 esse causalem aut alio modo necessarium; 2<sup>o</sup> posteriores scriptores sibi conscios fuisse vel debuisse esse illius

<sup>5)</sup> Ibid., 2.

<sup>6)</sup> Ibid., 170.

<sup>7)</sup> Ibid., 170 s.

<sup>8)</sup> Ibid., 171.

necessarii nexus. Tunc tantum liceret ei concludere in antithesi „Eva — Maria“, quae nullo habito respectu ad Protoevangelium apud posteriores scriptores occurrit, interpretationem mariologicam huius textus virtualiter latere. Cum tamen P. Gallus hoc facere neglexerit, nostrum est inquirere, sitne ille nexus apud praefatos quattuor Patres et imprimis apud Iustinum et Irenaeum causalis et necessarius, an non, vel forte prorsus non adsit.

#### I. IUSTINUS.

Unicus Iustini (+ circa 165) textus allegatur e *Dialogo cum Tryphone Iudaeo* n. 100<sup>9)</sup>. Verba hoc modo sonant:

„Et cum eum Filium Dei esse in commentariis apostolorum scriptum legamus, et Filium dicimus illum et esse intelligimus, ac ante omnes res creatas ex Patre, ipsius virtute et voluntate, prodiisse... et ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet. Eva enim cum virgo esset et incorrupta, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit. Maria autem Virgo, cum fidem et gaudium concepisset, nuntianti angelo Gabrieli laetum nuntium, nempe Spiritum Domini in eam superventurum et virtutem Altissimi ei obumbraturam, ideoque id quod nascetur ex ea sanctum esse Filium Dei, respondit: „Fiat mihi secundum verbum tuum“. Ex hac ille genitus est, de quo tot Scripturas dictas esse demonstravimus, per quem Deus serpentem, eique assimilatos angelos et homines profligat; eos autem qui prave factorum poenitentiam agunt et in eum credunt, a morte liberat“<sup>10)</sup>.

De isto textu L. Drewniak haec scribit: „Si Iustinus revera alludit ad Gen 3, 15b, est certo testis, et quidem chronologicè primus, interpretationis christo — mariologicae huius textus atque nexus istius interpretationis cum antithesi „Eva—Maria“. Attamen eius modus loquendi est nimis vagus (*die Aus-*

<sup>9)</sup> M G 6, 709—712.

<sup>10)</sup> Ibid., 709C — 712A.

*drücke sind zu allgemein*), quam ut necessitas nobis incumbat allusionem ad Gen 3, 15 admittere“<sup>11)</sup>.

Contrariam opinionem profert T. Gallus. Putat nos debere talem allusionem admittere, nam: „a) In contextu immediate praecedenti bis est sermo de serpente Protoevangelii: 'initium orta est a serpente inobedientia', 'sermone serpentis concepto'. Huic serpenti Protoevangelii antithesis instar opponitur angelus Gabriel, et immediate adiungitur: Ex hac ille genitus est... per quem Deus 'serpentem... profligat'. Procul dubio hic serpens identicus est cum priore bis nominato. b) Verba Dei contra serpentem: 'ipsum (scil. semen mulieris) conteret caput tuum' quoad rem coincidunt cum verbis: 'ex hac ille genitus est... per quem Deus serpentem profligat'.“ c) Quia Iustinus ad genesiacam narrationem de lapsu manifeste allusionem facit, cum viam describit, qua „initium orta a serpente inobedientia accepit“, debemus admittere etiam in fine illius incisi, ubi similem viam solutionis inobedientiae indicat per Filium Mariae, „per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat“, eum ad Gen 3, 15 alludere ac proinde per semen mulieris Christum intelligere<sup>12)</sup>.

<sup>11)</sup> DREWNIAK, 14 s.

<sup>12)</sup> GALLUS, 13—14. Ultimum argumentum, ex opere G. ARENDT, *De Protoevangelii habitudine ad Immaculatam Deiparae Conceptionem* (Romae 1904, 99—100) depromptum, ita ad verbum sonat: „Antithesim urget [Iustinus] tali ratione ac talibus verbis, ut palam ostendat se novum e Scripturis veteribus afferre testimonium quo tot alia iam allata veluti brevi compendio contineantur ac confirmentur. Evidenter enim se refert ipse ad genesiacam tentationis ac lapsus protoparentum narrationem: viam describit qua 'initium orta a serpente inoboedientia accepit'. Ergo etiam in fine, ubi ipse similem viam demonstrat qua inoboedientia 'dissolutionem accepit'; dum filium Mariae dicit esse filium Dei, 'per quem Deus serpentem eique assimilatos angelos et homines profligat', evidenter alludit versiculo 15 capitis tertii eiusdem genesiacae narrationis. Atqui Iustinus ita loquens prodit se supponere per 'semen mulieris' cui contritio capitis serpentis vi inimicitiarum a Deo in ipso positaram, attribuitur, significari ipsum filium Mariae quem tot allatis Scripturis demonstraverat esse Filium Dei et Messiam promissum“.

Equidem puto P. Drewniak proximiorē esse veritati quam P. Gallus, tamen eam plane, assecutum non esse. Ut quaestio securius dirimatur, inspiciatur primum contextus.

Totus n. 100, cuius ultima pars est supra allata, pertinet ad interpretationem Psalmi 21, quam Iustinus, cum Tryphone Iudaeo disputans, ad suum scopum proponit. Et quidem ventum iam est ad v.4: „Tu autem in sancto habitas, laus Israel“. Voce „Israel“ Iustinus intellegit indicari ipsum Christum, et quidem e mortuīs resurrecturum ope Patris, qui ideo vocatur „laus Israel (= Christi)“. Praeterea alia praeclara de Christo sunt revelata. Huic Scripturarum revelationi innixi sequentia de Christo credimus: 1) eum esse primogenitum Dei ante omnes res creatas; 2) eum esse filium patriarcharum, utpote qui est caro factus e Virgine, quae a patriarchis ortum ducit; 3) eum voluisse fieri hominem sine decore, sine gloria, et passionibus obnoxium. Haec tria sunt, quae Iustinus in secunda parte *Dialogi* (nn. 43—118) vario modo iterum atque iterum repetit et discutit. In nostra quoque sectione (n. 100) istas veritates, quas primum breviter exposuit, mox fusius evolvit. Et quidem exordium sumit a verbis Christi in Mt 16,21 („Oportet Filium hominis multa pati...“), quae et veritatem tertio loco positam de passione Christi continent et ad secundam veritatem transitum praebent. Iustinus enim explicans, cur Christus seipsum Filium hominis vocaverit, respondet id factum esse aut ideo, quod Christus per Virginem Mariam originem habeat a Davide et patriarchis (cfr. „patriarcharum filius“ in secunda veritate) aut quod et ipsius et istorum patriarcharum pater fuerit Adam. Ita tertia et secunda veritate e dictis Christi in Mt 16,21 probatis, primam quoque veritatem corroborat cum Petri confessione, qui revelante Patre Christum Filium eius esse agnovit, tum testimonio apostolorum conservato in eorum scriptis. Praedictas veritates resumens Iustinus ait nos scire Christum ante omnes creaturas e Patre prodiisse (veritas prima) et eum per Virginem esse factum hominem (veritas secunda).

Hic sequitur illa, quam Gallus vocat „retorsio divina“. Iustinus nimirum ut explicet, cur Filius Dei e Virgine factus sit

homo, dat illam rationem, quod oportebat, ut eadem via inobedientia tolleretur (κατάλυσιν λαβῆ) qua per serpentem initium habuit (τὴν ἀρχὴν ἔλαβε). Quam „retorsionem“ evolvit inducens antithesim „Eva — Maria“. Eva nimirum adhuc *virgo serpentis sermone concepto* (συλλαβοῦσα) *inobedientiam et mortem peperit* (ἔτεκε) Maria vero item *Virgo fide* cum gaudio susceptis seu *conceptis* (λαβοῦσα)<sup>13</sup>, cum audisset *angelum* Gabrielem laeta nuntiantem (εὐαγγελιζομένου) voluntati Dei se conformavit, dicens: „Fiat mihi secundum verbum tuum“; et ex ea *genitus est* (γεγέννηται) ille, per quem Deus *serpentem destruit* (καταλύει) et credentes in illum ac poenitentiam agentes *a morte liberat*.

Ex hac analysi apparet primo argumentum supra allegati incisi logice esse quidem stricte connexum cum toto n. 100, nimirum cum secunda veritate ex his, quas supra vidimus enumeratas, et inde cum principali argumento secundae partis *Dialogi* (nn. 43—118); attamen non recoli in eo tantum compendio illa, quae iam saepius repetita sunt, neque tantum novam eorum confirmationem afferri, in specie non afferri novam confirmationem virginei partus Mariae, sed hoc articulo fidei supposito et sufficienter ac fuse probato ex Evangeliiis et ex Is 7, 14 (nn. 43.66.77—78.84) rationem finalem indicari talis generationis Christi. Illam nempe rationem Iustinus putat contineri in principio retorsionis divinae, cuius applicatione ditatur argumentum libri et insignem progressum consequitur.

Videamus iam ipsam illam retorsionem ac ei implicitam antithesim „Eva — Maria“. Haec duo simul considerari debent, quia antithesis est necessarium complementum retorsionis divinae, in quantum haec Mariam attinet.

Utrumque supra dictum principium, retorsio et antithesis, fundatur super duas bases: super narrationem de tentatione, lapsu et poena (mors!) protoparentum in Gen 3 et super narra-

---

<sup>13</sup> Λαμβάνειν adhibetur etiam in sensu concipiendi de mulieribus, plenius λαμβάνειν ἐν γαστρί, cfr. HIPPOCRATES, *Prorrheticon* 2,24.



tionem Evangeliorum, imprimis de annuntiatione, ac doctrinam Novi Testamenti de Redemptione. Inde serpens Evae est certo serpens paradisiacus — non solius Protoevangeli, quod suggerit T. Gallus <sup>14)</sup>; neque adest ratio negandi eundem esse serpentem, quem Deus dicitur infra profligare, nam hoc convenit cum legibus antithesis. Sed aliud est, utrum factum profligandi serpentis sit haustum immediate e Gen 3, 15 — de qua re mox tractaturi sumus.

Verba „ex hac ille genitus est... per quem Deus serpentem... profligat“ quoad rem fere (non omnino) coincidunt quidem cum verbis Dei ad serpentem prolatis: „ipsum (semen mulieris) conteret caput tuum“ (Gen 3,15), si admittitur „semen mulieris“ esse Christum. Attamen hoc non sufficit ad probandum, Iustinum revera ad sententiam iudicalem Dei in Gen 3,15 alludere, nedum eam hoc modo libere allegare. Nam primo, cum tota praecedens expositio partium Mariae sit hausta e Novo Testamento, haec propositio, quae stricte cum praecedentibus nectitur et principale Novi Foederis opus describit, ex eodem fonte manare censenda est. Deinde vero, omnia quae in hac propositione dicuntur, exiguntur necessario ab artificiosa compositione „retorsionis“ et antithesis „Eva—Maria“ et poni debuissent, etsi Gen 3,15 non exstitisset. Quae paulo explicanda sunt.

Attendendum est imprimis ad quaestionem, quae Iustini menti obversatur, et ad fundamentale responsum ab eo datum. Iustinus intendit explicare, cur e Virgine humanam naturam sumpserit Christus. In fundamentali responso, quod principium „retorsionis“ divinae continet, praecipuum momentum ponitur quidem in solutione inobedientiae virginis Evae; solutio ista vi strictae antithesis est perfecta in annuntiatione, quod Iustinus verbis Evangelii fuse, ut momentum rei postulat, describit. Attamen generatio Christi in ipsa antithesi aut in aliqua recapitulatione omitti non potuit, cum quaestio sit posita, cur Christus sit h o m o f a c t u s e Virgine. Congruenter

<sup>14)</sup> GALLUS, 13.

itaque generatio Christi e Maria ponitur in ultima longiore propositione, quae incipit a verbis: „ex hac ille genitus est“. Cuius propositionis strictum nexum cum principio „retorsionis“, quod in capite huius sectionis positum est, Iustinus ipse evidenter effert, cum utitur eodem verbo *καταλύειν* de serpente destruendo, quod adhibuit in principio „retorsionis“, loquens de solutione (*κατάλυσιν έλαβε*) inobedientiae ab eodem serpente ortae.

Non solum tamen principale intentum Iustini, prout in supposita quaestione et in principio „retorsionis“ divinae continetur, postulat mentionem generationis Christi e Maria. Idem fluit quoque e consideratione antithesis „Eva — Maria“, prout a Iustino est composita. In ista valde artificiosa figura rhetorica habentur tum quaedam elementa similitudinis inter Evam et Mariam qua fundamentum comparationis utriusque feminae, tum elementa oppositionis.<sup>15)</sup> Notandum est, ad elementa similitudinis efferenda Iustinum adhibere quasdam metaphoras, quae omnes quasi uno filo deducuntur ex illo facto, quod Christus est natus ex Maria: Maria genuit Christum: Eva itaque peperit inobedientiam et mortem — ac conceperat sermonem serpentis; iterum vero in oppositione ad istam metaphoricam „conceptionem“ Evae Maria *concepit* fidem et gaudium, audito laeto nuntio angeli. Et quidem secundum leges strictae oppositionis, cum Eva concepisset sermonem serpentis, peperisset vero inobedientiam et mortem, etiam Maria debuisset concipere verbum angeli, parere vero fidem, obedientiam, vitam. Iustinus recedit ab isto rigido schemate, quia e Maria generatur Christus, quod factum, essenziale in retorsione, non potest in antithesi substitui aliqua generatione metaphorica; praeterea destructio serpentis et liberatio a morte non est opus Mariae, sed Christi geniti e Maria. Itaque manifestum est tria illa facta: generationem Christi e Maria, destructionem serpentis, liberationem a morte non

---

<sup>15)</sup> Supra in analysi sunt haec diverso modo typographico expressa.

potuisse exsulare ab antithesi, sed debuisse in ea poni, et quidem ultimo loco secundum ordinem membrorum antithesis et recolendae per „inclusionem“ retorsionis gratia.

Illis igitur argumentis, quae a P. Gallus allata sunt, nequaquam suadetur in verbis Iustini „ex hac ille natus est etc.“ allusionem fieri ad Gen 3,15. Forsitan maior vis videri possit in eo, quod in illa Iustini propositione profligari dicitur non solus serpens, sed etiam „assimilati ei angeli et homines“, τὸς ὁμοιωθέντας ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους, in quibus verbis liceret conspicere expressum sensum locutionis Protoevangelii „semen tuum (serpentis)“. Attamen ne hac quidem ratione sententia P. Gallus salvari potest. Quod sic ostenditur.

Assimilatos alicui homines aut angelos Iustinus non semel vocat eos, qui ad similitudinem alicuius agunt vel forte etiam ei associantur in agendo aut ad eius suggestionem operantur<sup>16)</sup>. Ita cum de Israelitis ab Abraha oriundis dicit: „Nemo enim, ne in illo quidem semine [Abrahae], quidquam accipere potest, praeter eos qui animo assimilati fuerint ἑξομοιωθέντες) Abrahae fidei et mysteria omnia agnoverint...“<sup>17)</sup> Alius textus similis, est cum occasione Ps 81 loquitur de hominibus, qui „cum ita facti sint, ut Deo similes ac perpeitionis et mortis expertes, si mandata eius servent, futuri sint, cumque eo honoroe sint dignati, uwt eius filii vocentur, ipsi Adae et Evae assimilati (ἑξομοιούμενοι) mortem sibi conficiant...“<sup>18)</sup>. Ubi hoc notandum est, quod licet assimilatio fiat ad opera protoparentum et per talia opera mors attrahatur, per quae evidenter ad narrationem de lapsu et poena protoparentum (Gen 3) alluditur, Iustinus ista locutione

<sup>16)</sup> Cfr *Dialogus cum Tryphone*, 18: „Nam si constanter omnia perferimus, quaecumque in nos homines et daemones mali moliuntur...“ (MG 6, 515 s. A); 82: „Multi enim impia et blasphemata et iniqua in eius [Christi] nomine adulterantes tradiderunt, et quae ab impuro spiritu diabolo sunt, ea mentibus suis iniecta docuerunt et etiam nunc docent“ (Ibid., 699 s. C).

<sup>17)</sup> Ibid. 44 (569 s. BC).

<sup>18)</sup> Ibid., 124 (765 s. B).

certo non intendit interpretari locutionem „semen eius (Evae)“ in Gen 3,15, quia hoc „semen“, utique physicum seu progenies naturalis, non praedicitur praevaricatum esse ad similitudinem Adae et Evae, sed pugnaturum cum serpente et victoriam reportaturum: „inimicitiam pono.... conteret caput tuum“.

Iam ex istis duobus textibus satis liquet locutionem illam n. 100 de assimilatis serpenti angelis et hominibus formatam esse secundum usum loquendi usitatum a Iustino, et quidem usitatum tum sine ulla allusione ad Gen 3 (n.44), tum cum allusione quidem ad Gen 3, sed excluso v.15 (n. 124). Ideo locutio illa n.100 „assimilati ei angeli et homines“ non necessario debet reputari esse interpretatio locutionis „semen tuum“ in Gen 3,15. Sed praeterea habemus alium textum, qui accuratius est considerandus, quia textui nostro n.100 simillimus est et clavem praebet ad verum fontem biblicum inveniendum non solum illius locutionis „assimilati ei angeli et homines“, sed etiam fere integrae ultimae propositionis n. 100. Habetur ille textus n.45 *Dialogi cum Tryphone Iudaeo*.

Tryphone interrogante, utrum illi, qui sub lege Moysis vixerant eamque observabant, in resurrectione mortuorum vitam obtenturi sint, respondet Iustinus affirmative, sequenti motus ratione:

„Siquidem qui ea faciebant, quae universe et natura et perpetuo praeclara sunt, ii Deo grati sunt, et per hunc Christum in resurrectione similiter ac ii, qui ante eos iusti fuere, Noe, Enoch et Iacob, et si qui alii, salutem consequentur una cum iis, qui hunc Christum Filium Dei agnoscunt, qui et ante luciferum [Ps 109,3] et lunam [Ps 71,5] erat, et ex illa Davidici generis Virgine caro factus nasci sustinuit, ut per hanc dispensationem serpens ille, qui ab initio improbe egit, et assimilati ei angeli profligentur, ac

mors cōtēnatur, et in secundo Christi adventu ab his, qui in eum credunt, et ita vivunt, ut ei placeant, penitus facessat [= cedat, desinat], nec iam ulla sit, cum alii quidem in iudicium et condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur, alii vero perpeſsionis et corruptionis et doloris expertem statum atque immortalitatem consequentur“<sup>19)</sup>.

Quo in textu sermonem habemus et de generatione Christi e Virgine Davidici generis, et de serpente cum allusione ad tentationem paradisiacam, et de destructione serpentis cum assimilatis ei angelis, verbo καταλύειν expressa, et de liberandis a morte iis, qui in Christum credunt eique placere student, quae cuncta plene quoad rem et saepe in ipsis verbis<sup>20)</sup> mire conveniunt cum illis, quae in nostro textu „ex hac ille genitus est etc.“ n.100 legimus. Proinde hi duo textus sunt stricte paralleli vel potius textus n. 100 repetit simpliciter quoad rem eadem, quae prius n.45 sunt dicta.

Porro textus n.45 clare prodit fontes biblicos, in quibus fundatur. Nimirum:

1) quod Filius Dei e Davidici generis Virgine caro factus (σαρκοποιηθείς) et natus est (γεννηθῆναι) recolit Lc 1,32 „Filius Altissimi vocabitur“; Lc 1,27 „ad Virginem... de domo David“; Io 1,14 „et Verbum caro factum est (σὰρξ ἐγένετο)“; Mt 2,1 „Cum natus esset Iesus (Ἰησοῦ γεννηθέντος)“;

2) quod dicitur de cessatione mortis, perpeſsionis et doloris, innititur Apoc 21,4 „et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt“;

3) denique illud dictum, quod hic maximi est momenti: „ut... serpens ille, qui ab initio improbe egit (ὁ πονηρευσάμενος τὴν ἀρχὴν ὄφις) et assimilati ei angeli (καὶ ὁμοιωθέντες αὐτῷ ἄγγελοι) profligentur (καταλωθῶσι)“ sine ullo dubio provenit e Io 10 3,8<sup>21)</sup>:

<sup>19)</sup> Ibid. 571—574.

<sup>20)</sup> Cf. inferius.

<sup>21)</sup> Hoc notatur quoque in editione germanica textus parata a Ph. HAEUSER (*Des Heiligen Philosophen und Martyrers Justinus*

„Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat [= destruat, λύση] opera diaboli“. Illud quidem interest inter hos duos textus, quod Ioannes loquitur de diabolo, Iustinus vero de serpente. Sed „serpens“ est nomen consuetum diaboli in *Dialogo*, ita ut potius nomen diaboli Iustinus explicet per nomen serpentis<sup>22)</sup>. „Qui ab initio improbe egit (ὁ πονηρευσάμενος τὴν ἀρχὴν)“ est idem ac „quoniam ab initio (ἀπ' ἀρχῆς) diabolus peccat (ἀμαρτάνει)“. „Assimilati ei angeli“ secundum modum loquendi Iustini sunt angeli mali seu angeli, qui perpetrant opera serpentis et peccant ad eius similitudinem; hoc vero congruit dicto Ioannis: „qui facit peccatum, ex diabolo est“ seu est filius diaboli<sup>23)</sup>. Verbum καταλώω, quod Iustinus nn.45.100 adhibet<sup>23a)</sup>, ex hoc textu S. Ioannis

---

*Dialog mit dem Juden Tryphon*: BK 33, 1917, 68) et in editione polonica parata ab A. LISIECKI (Św. JUSTYN Filozof i Męczennik, *Dialog z Żydem Tryfonem*: POK 4, 1926, 173).

<sup>22)</sup> „Postquam enim homo factus est [Christus], ut iam dixi, accessit ad eum diabolus, id est virtus illa, quae et serpens vocatur et Satanas, tentans eum“ *Dialogus*, 125 (MG 6, 767 s. A).

<sup>23)</sup> Quomodo ventum sit ad illam Iustini locutionem ἐξομοιοῦσθαι de assimilatis alicui seu omnino similibus factis hominibus aut angelis, cum certitudine dici non potest. Aliquam tamen lucem afferre potest textus chronologice paulo posterioris (cf. BARDENHEWER, 1, 321—323; B. ALTANER, *Patrologie*, 2. Aufl. Freiburg i B., 1950, 102; J. CZUJ, *Apologeci greccy II wieku* POK 18, 1935, 8s.) *Epistolae ad Diognetum*, 2, 5: „Haec deos vocatis, his servitis, haec adoratis; omnino autem iis similes reddimini (ἐξομοιοῦσθε)“ cf. *Bibliotheca sanctorum Patrum*, curante I. VIZZINI. Ser. I. *Patres Apostolici*, vol. 3. Romae 1902, 124s); ubi certo alluditur ad Ps 113, 16 secundum vers. LXX: „Similes illis fiant (ὄμοιοι γίνονται) qui faciunt ea“. Ipsum vero vocabulum (ἐξομοιοῦσθαι) adhibetur 2 Mach 4, 10. Sed praetera habemus cognatum verbum ἀφομοιοῦσθαι eandem ideam, licet minus fortiter exprimens, quod occurrit in Epistola Jeremiae (Bar 6.4.62.70) et in Hebr 7,3.

<sup>23a)</sup> Alibi quoque idem verbum καταλώειν vel substantivum κατάλωσις adhibere solet Iustinus, cum loquitur de destruendo serpente, malis angelis, principatibus, malis hominibus, cfr. *Dialogus* 39.41.91.94.111.125.

videtur derivari, quamquam hic verbum simplex λῶω occurrit, sed cum eodem sensu destruendi <sup>24)</sup>). Denique quod apud Ioan-nem destruuntur o p e r a diaboli (inclusis utique operibus eorum, qui „faciunt peccatum“), apud Iustinum ipse serpens et assimilati ei angeli, non facit difficultatem, quia haec quoad rem coincidunt.

Sic puto nos pervenisse ad ultimum fontem non solum eorum, quae dicuntur n.45, sed etiam eorum, quae habentur in nostro n. 100 („Ex hac ille genitus est etc“). Cum enim n. 45 qui ordine praecedit, eandem ideam contineat ac n.100 iisdem-que, saltem ex parte, signantibus verbis expressam, differentiae vero paucae et parvae, quae adsunt, diverso contextu, ut plurimum explicentur, cum denique Iustinus soleat easdem ideas similibusque verbis saepius in *Dialogo* repetere, ius nobis est statuere, non solum n.100 recolere ea, quae n.45 loco notato sunt dicta, sed etiam eo ipso iisdem textibus biblicis inniti.

E differentiis, quae inter utrumque Iustini textum intercedunt, notemus ilam, quod in n.45 (et 1 Io 3,8) Christus ipse profligat serpentem, dum n. 100 Deus per Christum. Posset hic videri influxus Rom 16,20, ubi S. Paulus alludens ad Gen 3,15 dicit: „Deus autem pacis conterat συντρίψει Satanam sub pedibus vestris velociter“. Quod si admittitur, habemus insignem argumentum contra opinionem eorum, qui tenent Iustinum n.100 supponere sensum mariologicum Gen. 3,15. Nam si Iustinus per „semen mulieris“ intellexisset Christum et per „mulierem“ Mariam, certo in isto eminenter mariologico textu sub finem n.100 non deseruisset clarum mariologicum testimonium biblicum, ut illud attingeret via obliqua per Rom 16,20, ubi allusio tantum habetur ad Gen 3,15 et quidem sine sensu mariologico. Tamen nexus inter n.100 *Dialogi* et Rom 16,20 est potius negandus, quia 1<sup>o</sup> desunt signantes locutiones huius textus („conteret“, „sub pedibus vestris“), 2<sup>o</sup> commu-

<sup>24)</sup> Nota est in lingua hellenistica tendentia adhibendi verba composita cum praepositionibus, ubi simplex verbum sufficit.

tatio subiecti actionis „Christus“ in „Deus per Christum“ non mutat sensum et frequens est apud Iustinum.

Hucusque analysi subiecimus ipsum n.100 *Dialogi cum Tryphone Iudaeo* eumque in luce contextus etiam remotissimi et locorum parallelorum interpretati sumus. Ex iis, quae dicta sunt, sequitur fontem biblicum certum et sufficientem illus incisi, de quo agitur, pro argumento mariologico quidem esse Evangelia et insuper principium retorsionis, pro argumento vero christologico et eschatologico — 1 Io 3,8 et Apoc 21,4; ac proinde opinionem eorum, qui in *Dialogi* n. 100 suspicantur allusionem ad Gen 3,15 omni fundamento carere.

Ne limites recti ratiocinii excedere videamur, nolumus ulterius progredi et iam nunc concludere Iustinum omnino non novisse sensum christo-mariologicum Gen 3, 15. Sed restant nobis adhuc duo loci considerandi.

Et quidem primum venit unicus locus *Dialogi*, in quo Iustinus explicite allegat textum Gen 3, 15, nimirum n. 102:

„Statim enim atque Bethlehemi natus est, rex Herodes, ut dixi, qui a magis ex Arabia venientibus de eo didicerat, insidias eius vitae molitus est; sed Ioseph Dei iussu eum cum Maria assumens in Aegyptum abiit. Statuerat enim Pater, qui eum genuerat, ut non ante occideretur, quam ipsius verbum vir factus praedicasset. Si quis autem dicat: An non poterat Deus Herodem potius interficere? Huic quaestioni sic occurram: An non poterat Deus ab initio etiam serpentem e medio tollere, nec dicere: „Inimicitias ponam inter eum et mulierem, et inter semen illius et semen huius“? An non poterat statim multitudinem hominum creare? Sed ut praeclarum esse iudicabat, liberos ad iustitiae observationem angelos et homines creavit, ac tempora definivit quoad bonum iudicaret eos libero uti arbitrio; et quia pariter praeclarum esse iudicabat, et generalia et particularia iudicia fecit, manente utique libero arbitrio“<sup>25)</sup>.

Ad quaestionem, cur Deus potius statuerit, ut Filius eius in Aegyptum fugeret, non vero Herodem ipsum e vivis tulerit,

<sup>25)</sup> MG 6,713 s. B. T. GALUS hunc textum prorsus omittit.



respondet Iustinus Deum talem sapientem modum gubernandi prosequi, ut hominibus et angelis, quos libero arbitrio donaverat, tempus hac libertate utendi definiverit, quo demum emenso eos ad iudicium vocet. Ob eandem rationem, postquam serpens primos homines ad peccatum induxit, non tulit eum e medio Deus, sed potius pugnam inter homines et serpentem statuit, expressam verbis Gen 3,15, quae liberi arbitrii exercitium includit. Hanc esse mentem Iustini in citando textu Gen 3,15 elucet non solum e contextu, sed etiam e loco parallelo n. 88<sup>26)</sup>, ubi Gen 3,15 quidem auctor non allegat, sed totum cap. 3 Genesis compendio exhibet et in eundem sensum interpretatur.

In hoc itaque unico loco, in quo Iustinus Gen 3,15a claris verbis citat, non tribuit huic textui sensum mariologicum nec christologicum, sed „semen mulieris“ intellegit esse genus humanum, descendens utique ab Eva, dum serpens est ei evidenter diabolus, prout alibi in *Dialogo*.

Ne hic quidem textus sufficit ad probandum Iustinum nullo modo sensum mariologicum Gen 3,15 agnovisse, quia alibi iam ostendimus sensum litteralem a sensu christo-mariologico diversum, qualis hic habetur, et sensum allegoricum non necessario sensum christo — mariologicum excludere<sup>27)</sup>. Habemus tamen adhuc unum textum maximi momenti, qui quaestionem illam omnino certo dirimit. Est nimirum in n. 91 *Dialogi*:

---

<sup>26)</sup> „Nec tamen quod baptismo egeret, aut, delabente in columbae specie Spiritu, idcirco eum ad fluvium venisse novimus; quemadmodum nec nasci nec crucifigi ideo sustinuit, quod his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod ab Adamo in mortem et serpentis fraudem incidere, unoquoque sua culpa improbe agente. Nam cum vellet Deus angelos et homines libera eligendi potestate praeditos ac sui iuris, ea agere, quaecumque ipsis agendi facultatem dedisset, tales eos fecit, ut si ipsi placentia eligerent, corruptionis et poenae expertes servaret, sin autem improbe agerent, suo arbitratu in unumquemque animadverteret“. Ibid., 685 s. BC.

<sup>27)</sup> Cf. *Egzegetyczne podstawy* 37—39.

„Atque illam etiam figuram illudque signum quod adversus serpentium morsus Israeli institutum est, ad eorum salutem erectum esse liquet, qui iam tum praenuntiatam fuisse credunt et mortem serpenti per eum, qui crucifigendus erat, futuram, et salutem iis qui serpentis morsibus laesi ad eum, a quo crucifixus ille Filius in mundum missus est, confugiunt. Neque enim nos in serpentem credere spiritus propheticus per Moysen docebat, quippe cum eum ab initio diris a Deo devotum demonstraret, et apud Isaiam magno gladio (is autem Christus) tamquam hostem necatum iri significet“<sup>27a)</sup>.

Iustinus, ut ostendat Tryphoni, quantum robur inhaereat cruci Christi, postquam explicavit duos typos crucis in Vetere Testamento: manus extensas Moysis in pugna cum Amalecitis (Ex 17, 10—13) et „cornua unicornis“ in benedictione Ioseph (Deut 33, 17 secundum LXX), ultimo loco commemorat serpentem aeneum erectum a Moyse in deserto (Num 21, 8—9). Serpentem hunc non ideo Moyses erexit — ait Iustinus — ut cultus ei exhiberetur, cum serpentem ab initio maledictum esse (καταρᾶσθαι) ipse Moyses narraverit (Gen 3, 14) et Isaias eum gladio i. e. per Christum necatum iri praedixerit (Is 27, 1), sed ut iam tunc, ἔκτοτε i. e. ex illo tempore<sup>28)</sup>, praenuntiaretur mortem serpenti a Christo crucifigendo illatum iri et salutem obventuram iis, qui haec credunt et ad Patrem Crucifixi confugiunt.

Duo sunt hic notanda. Primum, Iustinus asserit mortem, serpenti a Christo inferendam, esse praedictam i a m t u n c, ex illo tempore, i. e. tempore exitus ex Aegypto. Eo ipso Iustinus non novit illam praedictionem destruendi a C h r i s t o serpentis, quae habetur Gen 3, 15, quem textum proinde non intellexit christologice.

Si quis autem obstinatus renuerit admittere illud ἔκτοτε excludere quamlibet anteriorem eiusdem rei praedictionem

<sup>27a)</sup> MG 6,693 s. B.

<sup>28)</sup> Cf. E. A. SOPHOCLES, *Greek Lexicon of the Roman and Byzantine Periods*, Boston 1870, 444.

aut asseruerit Iustinum hic agere non de qualicumque destructione serpentis, sed de destructione a Christo *c r u c i f i g e n d o* perficienda, notemus secundo sub finem huius incisi ad refellendam opinionem, quod serpens a Moyse cultus causa erectus sit, Iustinum provocare ad duo facta: ad maledictionem serpentis „ab initio“ in Gen 3, 14 prolata<sup>29)</sup> et ad praedictionem necis serpentis a Christo in Is 27,1 (secundum interpretationem Iustini) contentam, prorsus vero omittere contritionem capitis serpentis Gen 3,15 annuntiatam.

Porro talis omissio non potest explicari, nisi eo, quod Iustinus sensum christologicum Gen 3,15 non novit aut non agnovit. Nam mentione facta maledictionis, quae versiculo praecedente a Deo est prolata, loquenti de nece a Christo serpenti inferenda versus 15 necessario se menti ingerit, si interpretatio christologica huius versiculi agnoscitur. Accedit, quod tali interpretatione Gen 3,15 admissa sensus, de quo agitur, multo clarior et certior esset quam in Is 27,1 secundum extortam interpretationem Iustini. Denique quia Iustinus effert serpentem *a b i n i t i o* maledictum esse, maxime ei convenisset idem de praedictione eius mortis affirmare quod in Gen 3,15 habetur.

Neque dicatur, Iustinum de maledictione serpentis loquentem comprehendere etiam illud, quod v. 15 continetur de eius nece. Nam 1<sup>o</sup> hae duae res sunt revera diversae et pugna inter mulierem et serpentem ac inter eorum progenies cum suo exitu a nemine vocatur maledictio serpentis; 2<sup>o</sup> ipse Iustinus clare haec duo distinguit; 3<sup>o</sup> si includere voluisset v. 15 secundum sensum christologicum, potius necis hoc versu expressae mentionem fecisset, quod est plus, quam maledictionis, quod est minus <sup>29a)</sup>.

<sup>29)</sup> Eundem textum respicit Iustinus n. 79: „Et a Moyse in principio Genesis scriptum habemus Evam a serpente deceptam fuisse, eumque diris devotum (*κακατηραμένον*, maledictum)“ MG 6,663 s. ✓

<sup>29a)</sup> Nostra explicatio confirmatur etiam eo, quod paulo inferius n. 112 Iustinus iterum occasione serpentis aenei a Moyse erecti simili modo ac n. 91 et ad hunc locum provocans asserit non serpentem servasse

Hisce puto sufficienter esse monstratum nullo effugio vitari posse conclusionem supra positam, quod Iustinus vi textus n. 91 non admisit interpretationem christologicam Gen 3,15.

Hoc modo ista longiore discussione circa mentem Iustini de Gen 3,15 eiusque relationem ad antithesim „Eva — Maria“ pervenimus, ni fallor, ad quasdam certas et magni momenti in nostra quaestione conclusiones. Et quidem:

1<sup>o</sup> In *Dialogo cum Tryphone Iudaeo* n. 100 Iustinus non alludit ad Gen 3,15; propositio, de qua agitur, quantum ad compositionem litterariam sequitur leges retorsionis et antithesis, quantum ad argumentum mariologicum innititur Evangelii, quantum ad argumentum christologicum et eschatologicum vero dependet immediate a 1 Io 3,8 et Apoc 21,4.

2<sup>o</sup> Textui Gen 3,15 Iustinus certo non tribuit momentum christologicum, nedum mariologicum, sed per „semen mulieris“ sensu litterali intellegit tantum genus humanum, ac proinde per „mulierem“ intellegit Evam. Haec conclusio omnino certo fluit e consideratione n. 91 *Dialogi*, corroboratur Iustini interpretatione Gen 3,15 n. 102 et confirmat nostram interpretationem n. 100.

3<sup>o</sup> Iustini antithesis „Eva — Maria“ pro fundamento habet narrationem Evangelii de annuntiatione B. V. Mariae et narrationem Gen 3 de lapsu, nullum tamen nexum habere potest cum Gen 3,15 quem textum Iustinus non intellexit mariologicè.

## II. IRENAEUS.

Quoniam de S. Irenaeo (+ ca 202) iam alibi fuse disseruimus <sup>30)</sup>, sufficit, si hic breviter et compendio recolimus ea, quae illic diximus, quibusdam novis animadversionibus adiunc-

---

populum cum eum Deus ab initio diris devoverit et per magnum gladium eum necaturus sit, ut Isaias clamat (Is 27,1); nullam vero contritionis capitis serpentis Gen 3, 15 praedictae mentionem facit.

<sup>30)</sup> *Egzegetyczne podstawy*, 25—32.

tis. Sunt vero sequentes conclusiones, ad quas in dicto articulo venimus:

1. Irenaeus intellegit textum Gen 3,15 verificari sensu literaliter tum in Eva et humano genere ab ea proveniente, tum in Maria et Christo. Nimirum „semen mulieris“ sumit sive in sensu generali de progenie mulieris, sive in sensu speciali de generatione virgineae. Illud verificatur in humano genere universo, hoc aut potius utrumque in Christo. „Serpens“ est ei semper et ubique diabolus, similiter ac apud Iustinum.

Huc facit imprimis I.III, c. 23, n. 7 operis *Adversus haeseres*: „Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem, et semen eius, observantes invicem, illo quidem cui morderetur planta et potente calcare caput inimici, altero vero mordente et occidente, et interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariae“<sup>31)</sup>.

Distinguitur hic duplex „semen mulieris“: aliud (homo in genere), cuius morderetur planta et interpediuntur ingressus, sed quod potest „calcare caput inimici“ i. e. serpentis, et aliud semen, e Maria nasciturum, quod revera caput serpentis calcabit. Patet „semen mulieris“ in utroque casu metaphorice intellegi, nimirum de progenie, primo quidem de progenie collectiva seu de genere humano, deinde vero de progenie singulari seu de Christo. Serpens in utroque casu est idem, nam eiusdem serpentis, qui interpedit gressus hominis, caput calcatur a partu Mariae; seu in utroque casu serpens est diabolus. Porro tum „inimicitia“, quae initio ponitur et ad utrumque semen eodem modo refertur, tum pugna, quae pertrahitur, cum homines possint quidem calcare caput serpentis, sed id non perficiant, donec venit „partus Mariae“ — est necessario inimicitia et pugna in utroque casu eiusdem generis i. e. spiritualis. Non est itaque verum illud, quod dicit T. Gallus: „In hoc textu Irenaeus verba Protoevangelii intellegit sensu proprio

<sup>31)</sup> MG 7,963 s. B.

de inimicitiiis inter serpentem et genus humanum in ordine naturali, sensu vero translato de inimicitiiis spiritualibus inter Diabolum et Christum<sup>32)</sup>, ubi in primo casu serpentem intellegit esse animal naturale.

Idem sequitur ex alio textu, quem allegat T. Gallus<sup>33)</sup>:

„Et retorsit inimicitiam, per quam [angelus malus hominem] inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum auctorem, auferens quidem suam, quae erat adversus hominem inimicitiam; retorquens autem illam et remittens illam in serpentem. Quemadmodum et Scriptura ait: „Et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem et inter semen tuum et inter semen mulieris, ipse tuum calcabit caput, et tu observabis calcaneum eius“. Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, et calcans eius caput<sup>34)</sup>.

Duo transitus: „Quemadmodum et Scriptura ait“ ac „Inimicitiam hanc“ (de qua erat sermo in verbis Scripturae) evidenter monstrant textum Gen 3, 15 secundum Irenaeum verificari in „homine“, quem diabolus „inimicum Deo facere voluit“ et adversus quem Deus habuit inimicitiam. Hic „homo“ est homo in genere, Adam cum suis posteris. Eandem vero hominis inimicitiam, quam Deus in serpentem retorse rat (Gen 3, 15), Christus demum in seipso recapitulavit, in quo proinde Gen 3, 15 secundo loco, sed perfectius verificatur. Patet utrobique et inimicitiam esse spiritualem, et serpentem esse eundem diabolum.

Notare liceat non solum in v. 15, sed etiam in v. 14 serpentem ab Irenaeo intellegi diabolum, quod clare patet e l. III, c. 23, n. 3. Agens de poena inflictā hominibus a Deo in paradiso, negat hanc poenam aequivalere maledictioni, et pergit:

„Omnis autem maledictio decurrit in serpente m, qui seduxerāt eos. „Et dixit, inquit, Deus serpenti:

<sup>32)</sup> GALLUS, 15.

<sup>33)</sup> Ibid.

<sup>34)</sup> L. 4, c. 66 secundum editionem WIGAN HARVEY, adhibitam a T. GALLUS, quod est IV, 40, 3 in MG (7, 1113 s.).

Quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis terrae“. Hoc idem autem et Dominus in Evangeliiis his qui a sinistris inveniuntur, ait: „Abite, maledicti, in ignem aeternum, quem praeparavit Pater meus d i a b o l o et angelis eius“; significans, quoniam non homini principaliter praeparatus est aeternus ignis, sed e i q u i s e d u x i t et offendere fecit hominem“<sup>35)</sup>.

Itaque secundum Irenaeum ille, qui seduxit hominem in paradiso, promiscue vocatur diabolus aut serpens, et maledictio Gen 3, 14 illata eadem est ac illa, qua in Evangeliiis diabolus et angeli eius plectuntur. Aliis verbis „serpens“ genesiacus Irenaeo non est aliud nisi nomen diaboli, similiter ac Iustino „serpens“ generatim.

2. Ubi Irenaeus antithesim „Eva — Maria“ evolvit, nempe in opere *Adversus haereses* III, 22, 4<sup>36)</sup> et V, 19, 1<sup>37)</sup> ac in opere *Ad demonstrationem evangelicae praedicationis* 33<sup>38)</sup>, non solum non allegat expresse Gen 3, 15, sed nihil omnino ex hoc textu sumit, nam quae in illam antithesim intrant-nimirum: utraque mulier est desponsata, sed virgo; utraque ab angelo,

<sup>35)</sup> PG 7,962 AB.

<sup>36)</sup> Ibid., 958s.

<sup>37)</sup> Ibid., 1175s.

<sup>38)</sup> Editiones et versiones istius scripti, in sola armenica versione conservati et hoc saeculo ineunte inventi, habentur: a) *Des hl. Irenäus Schrift „Zum Erweise der apostolischen Verkündigung“* εις επιδειξιν του αποστολικου κηρυγματος, in armenischer Version entdeckt und ins Deutsche übersetzt von K. TER-MEKERTTTSCHIAN und E. TER-MINASSIANTZ. Mit einem Nachwort und Anmerkungen von A. HARNACK (TU 31,1), 1907; b) *Des hl. Irenäus Schrift zum Erweis der apostolischen Verkündigung*. Aus dem armenischen übersetzt von S. WEBER (BK 4), 1912; c) S. IRENAEUS, *Εις επιδειξιν του αποστολικου κηρυγματος. The Proof of the Apostolic Preaching with Seven Fragments*. Armenian version edited and translated by K. TER-MEKERTTTSCHIAN and S. G. WILSON with the co-operation of Prince MAX of SAXONY (PO 12, 653—746), 1919; d) Saint IRÉNÉE, *Démonstration de la Prédication apostolique*. Traduite de l'arménien et annotée par J. BARTHOULOT S. J., avec une introduction et des notes par J. TIXERONT (PO 12, 747—802), 1919.

malo vel bono, sermonem accepit; illa inobediens Deo, haec obediens; illa facta est humano generi causa mortis, haec vero causa salutis; illa, seducta ab angelo, effugit Deum, haec, ab angelo evangelizata, portavit Deum — omnia ista, inquam, hauriuntur e relatione Gen 3 de tentatione et lapsu protoparentum atque inducta per lapsum poena mortis — relate ad Evam, et e narratione Evangeliorum de actis in annuntiatione relate ad Mariam, nulla allusione facta ad Gen 3, 15. In specie amicitiae Evae cum serpente, quae in tentatione et lapsu se prodit, nullibi opponit Irenaeus inimicitiam Mariae cum diabolo, quod summam admirationem moveret et inexplicabile esset, si antithesis „Eva — Maria“ inniteretur textui Gen 3, 15 vel saltem strictum et necessarium nexum cum eo haberet.

T. Gallus conatur ostendere, nexum logicum idearum Irenaei favere sensui mariologico etiam in v. 15 a, qui de inimicitia inter mulierem et serpentem agit<sup>39)</sup>. Non est mihi in animo hanc quaestionem decidere aut discussioni subiicere argumenta a P. Gallus proposita, quae haud felicia in omnibus dici possunt. Argumentatio nostra a solutione istius quaestionis est prorsus independens. Nam etiam positivo responso P. Gallus accepto, exspectari debuit Irenaeum, si e Gen 3, 15 ideam oppositionis inter Evam et Mariam hausisset aut alium nexum necessarium inter dictam antithesim et Gen 3, 15 admisisset, ideam inimicitiae in evoluta antithesi praeprimis adoperatum fuisse. Neque salvatur P. Gallus eo, quod allegata opinione Fr. Drewniak asserit Irenaeum ideo, quod maximum momentum tribuit ipsi incarnationi Verbi et opus Christi sub respectu theoriae „recapitulationis“ considerat, non habuisse occasionem explicite sensum mariologicum v. 15a efferendi. Nam talis occasio optima fuit praecise in illis locis, in quibus Irenaeus antithesim „Eva — Maria“ evolvit. Iuvat hic citare textum ex opere *Adversus haereses* V, 19, 1, quem alia occasione omiseram:

---

<sup>39)</sup> GALLUS, 16s.



„Manifeste itaque in sua propria venientem Dominum et sua propria eum baiulante conditione, quae baiulatur ab ipso, et recapitulationem eius, quae in ligno fuit inobedientiae, per eam, quae in ligno est obedientiam, facientem, et seductionem illam solutam, qua seducta est male illa, quae iam viro destinata erat virgo Eva, per veritatem evangelizata est bene ab angelo iam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, praevaricata verbum eius; ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed haec suasa est obedire Deo, uti virginis Evae Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae allegati eramus morti“<sup>40)</sup>.

Nemo non videt, quam apte huc inseri potuerit inimicitia Mariae cum diabolo opposita amicitiae Evae cum serpente; et quam necessario inseri debuisset, si antithesis „Eva — Maria“ strictum nexum haberet cum Gen 3, 15 vel immo ab hoc versu dependeret.

3. Quomodo Irenaeus ad antithesim „Eva — Maria“ pervenerit, accurate prosequi possumus in priore loco, quo istam antithesim adumbrat, nimirum *Adv. haer.* III, 22, 4 cum suo contextu. Quia res haec pro nostro scopo magni est momenti, liceat nobis in ea paulo immorari atque, occasione data, ea quae alibi dixeramus<sup>41)</sup>, quibusdam novis observationibus complere. Textus, de quo agitur, ita sonat:

„Consequenter autem et Maria virgo obediens invenitur, dicens: „Ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum“. Eva vero inobediens: non obedivit enim, adhuc cum

<sup>40)</sup> MG 7, 1175s.

<sup>41)</sup> *Egzegetyczne podstawy*, 30—32.

esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens („erant enim utrique nudi“ in paradiso, „et non confundebantur“, quoniam paulo ante facti, non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere, dehinc sic multiplicari) inobediens facta, et sibi et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis“<sup>42)</sup>.

Primo obtutu inopinatus apparet ille transitus factus adverbio „consequenter“, quo conclusio aliqua e praecedenter dictis rationabiliter deducitur, aut certo aliquid annuntiat, quod strictam conformitatem habet cum factis antea narratis aut veritatibus expositis. Nam in immediate praecedentibus numeris 1—3 eiusdem capituli 22<sup>43)</sup> nihil invenitur, quod talem connexionem iustificet. Sed incisum illud n. 4 perfecte parallelo modo respondet ultimo inciso cap. 21, n. 10, in quo Irenaeus ostendit, quomodo Christus, „qui recapitulatur omnia in se“, etiam „antiquam plasmationem in se recapitulatus est“<sup>44)</sup> i. e. genus humanum inde ab Adamo:

„Quia quemadmodum per inobedientiam unius hominis introitum peccatum habuit, et per peccatum mors obtinuit; sic et per obedientiam unius hominis iustitia introducta vitam fructificet his, qui olim mortui erant, hominibus. Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra, et de adhuc virgine („nondum enim pluerat Deus, et homo non erat operatus terram“) habuit substantiam; et plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei („omnia enim per ipsum facta sunt“) et sumpsit Dominus limum a terra et plasmavit hominem: ita recapitulatus

<sup>42)</sup> MG 7, 958—960. Hic locus praecedit tempore non solum *Adv. haer.* V, 19, 1, sed etiam *Demonstr. ap. praed.*, quod scriptum certo compositum est libro III *Adv. haer. finito*, cf. A. HARNACK, op. cit., 55; S. WEBER, op. cit., V—VI; BARDENHEWER 1, 409; J. TIXÉRONT, op. cit., 752 s.

<sup>43)</sup> Ibid., 955—958.

<sup>44)</sup> C. 21, n. 9 sub finem (ibid., 954C).

in se Adam, ipse Verbum existens ex Maria, quae adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis“<sup>45)</sup>.

In luce huius textus apparet illud, quo conformatur Maria Christo, esse obedientiam („Consequenter... et Maria virgo obediens“), et quidem tum cum suo fructu, quae est vita seu salus, tum cum oppositione inobedientiae protoparentis, quae mortem causaverat. Necessitas vero huius conformationis secundum mentem Irenaei sequitur e modo, quo Christus „antiquam plasmationem in se recapitulatus est“<sup>46)</sup>. „Recapitulatio“ enim Adae id secum fert, ut Christus e virgine nasci debuerit. Innuit hoc Irenaeus in supra citatis verbis (21,10) et clare evolvit in iis, quae immediate subnectit (21,10 et 22,1)<sup>47)</sup>.

Summa eius argumentationis est in hoc: „Recapitulatio“ Adae postulat: 1<sup>o</sup> ut Christus sua obedientia restauret genus humanum ad illum statum, quem Adam per inobedientiam suis posteris amiserat; 2<sup>o</sup> ut suo ortu reproducat ortum primi parentis „servata similitudine“; 3<sup>o</sup> ut generis humani sit membrum. Quod secundam conditionem attinet, Adam non habuit patrem, hominem, sed e limo, nimirum e terra virgine, i. e. nondum labore hominum tacta, plasmatus est manu Dei, i. e. Verbo Dei. Si igitur idem Verbum recapitulationem Adae in seipso facere voluit, oportet simili modo fiat homo ac Adam. Non quidem e limo terrae, quia hoc non permittit tertia conditio perfectae „recapitulationis“ seu restitutionis ad priorem statum, scil. ut recapitulatio peragatur ab eo, qui est eiusdem plasmationis seu communionem naturae et originis habet cum genere humano. Attamen id servari debuit, ut Christus manu Dei, i. e. speciali Dei artificio et sine patre fieret, quod obtinetur unice conceptione et generatione virginea. Sic „servata similitudine“ Christus recapitulat ortum Adae e terra virgine<sup>48)</sup>.

<sup>45)</sup> Ibid., 954s.

<sup>46)</sup> II, 21, 9 (Ibid., 954C).

<sup>47)</sup> Ibid., 955—956 A—C.

<sup>48)</sup> Cf. Ibid., 955 s.: „Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, et ex semine viri natus est; merito dicerent, et secundum Adam ex

Hiscē Irenaeus sufficienter explicavit ea, quae initio 21, 10 asseruerat de recapitulatione „antiquae plasmationis“ facta a Christo. In sequentibus vero, i. e. 22, 4, mentem illic expositam novo complet elemento. Cum enim Maria tam arcte implicata sit operi recapitulationis sua virginea Christi generatione, oportet, ut illius quoque particeps fiat, quod est Christi instrumentum praecipuum et quasi arma salvationis, scil. obedientiae<sup>49)</sup>: „Consequenter“ igitur „et Maria virgo obediens invenitur“.

Hunc esse revera nexum logicum intentum ab Irenaeo, probatur non solum supra data analysi eius ratiocinii et impossibilitate assignandi alium nexum, sed etiam compositione litteraria ipsius incisi 22, 4. Irenaeus enim in antithesibus evolvendis talem servat ordinem, ut primum referat factum

---

Ioseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat id ipsum Verbum recapitulationem Adae in semetipsum faciens, eiusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia plasmatio esset quae salvaretur, sed eadem ipsa recapituletur, servata similitudine. Errant igitur qui dicunt, eum nihil e Virgine accepisse, ut abiiciant carnis hereditatem. Si enim ille quidem de terra, et manu et artificio Dei plasmationem et substantiam habuit, hic autem non manu et artificio Dei, iam non servavit similitudinem hominis, qui factus est secundum imaginem ipsius et similitudinem, et inconstans artificium videbitur, non habens circa quod ostendat sapientiam suam. Hoc autem dicere est, et putative eum apparuisse tamquam hominem, cum non esset homo: et factum eum hominem nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: et si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est et sustinuit“. Praeterea aliam adhuc rationem dat Irenaeus 22,2 (ibid., 956—958), cur Christus veram carnem e Virgine Maria sumere debuerit, ac denique n. 3 (ibid., 958) asserit lucana genealogia Christi (Lc 3, 23—38), quae usque ad Adam ascendit, illud indicari, quod Christus totum genus humanum incluso protoparente in seipso recapitulatus est, unde Adam „typus futuri“ est dictus a s. Paulo (Rom 5, 14).

<sup>49)</sup> Cf. J. WERNER, *Der Paulinismus des Irenaeus* (TU VI, 2). 1889, 158.

aliquod protoparentis (Adae aut Evae) et ex eo concludat per oppositionem aut similitudinem ad statum aut modum agendi aut effectum actionis sive Christi, sive Mariae. Hoc modo procedit in antithesi „Adam — Christus“ III, 21, 10 atque in antithesi „Eva — Maria“ V, 19, 1 et *Demonstr. apost. praed.* 33. In praesenti quoque antithesi „Eva — Maria“ (III, 22, 4) status virginitatis Mariae, qui eius obedientiam comitatur, et effectus salutis, qui ex ea fluit, secundum idem praescriptum decurrunt. Excipitur unice obedientia Mariae in capite huius incisi posita et adverbio „consequenter“ introducta, dum inobedientia Evae secundo loco ponitur: „Eva vero inobediens...“. Hunc ordinem praeter morem elegit Irenaeus manifeste ob hunc finem, ut incisum III, 22, 4 cum inciso III, 21, 10 stricte connecteret atque totam antithesim „Eva — Maria“, quae in eo habetur, ab antithesi „Adam — Christus“ in III, 21, 10 logice dependentem ostenderet. Dico expresse „t o t a m antithesim Eva — Maria“, quia obedientia est illud, quod est primum et -essentiale huius antithesis elementum (prout etiam prioris antithesis „Adam — Christus“), dum salus obtemperata consideratur tamquam huius obedientiae effectus, virginitas vero tamquam concomitans nota similitudinis inter oppositas feminas.

Quod modo diximus, confirmatur etiam aliquatenus analogia duorum aliorum locorum, in quibus Irenaeus antithesim „Eva — Maria“ proponit, i. e. *Adv. haer.* V, 19, 1 et *Demonstr. apost. praed.* 33. Nam in utroque loco oppositioni inter inobedientiam Evae et obedientiam Mariae praemittitur mentio recapitulationis inobedientiae in ligno per obedientiam in ligno (*Adv. haer.* V, 19, 1) seu ruptionis vinculorum mortis, quae inobedientia protoparentis effecta est, per obedientiam illius, qui pro nobis homo est factus (*Demonstr. apost. praed.* 31); quae idea in ipso quoque n. 33 *Demonstrationis* iterum recurrit et antithesi „Eva — Maria“ implicatur; quem textum, utpote rarius allegatum, iuvat in extenso afferre:

„Et sicut per virginem, quae non obediverat, homo est percussus et cecidit et mortuus est, ita per virginem quae voci Dei obedivit, per vitam, quae inde est orta, vita est iterum nata in homine. Quoniam Dominus venit, ut iterum quaereret ovem perditam et ovis perditam erat homo, ideo non est factus alia creatura, sed ex illa, quae erat de genere Adami, retinens similitudinem creaturae. Nam conveniebat, immo et necessarium erat, ut in recapitulatione Adami in Christo mortalitas in immortalitate deglutiretur et in renovatione Evae in Maria, virgine pro virgine intercedente, inobedientia virginis per obedientiam Virginis destrueretur et deiiceretur (34) ac transgressio, quae per lignum est facta, per lignum obedientiae tolleretur: Cui Dei praecepto Filius hominis obtemperans sivit se ligno affigi, destruens cognitionem peccati, inducens cognitionem boni eiusque receptionem firmans. Sed malum est non obedire Deo et obedire Deo est bonum“<sup>50)</sup>.

E dictis patet immediatum fontem et radicem prima vice ab Irenaeo propositae antithesis „Eva — Maria“ esse sine ullo dubio antithesim „Adam — Christus“, III,21,10 explicatam, connexam utique cum systemate „recapitulationis“ S. Irenaei. Sed ipsa antithesis „Adam — Christus“ exprimitur ab Irenaeo verbis mutuatis a Rom 5,12.19.21 in unam propositionem conflatis. Itaque si quis desiderat fontem biblicum antithesis „Eva—Maria“ apud Irenaeum invenire, procul dubio non errabit, si — praeter narrationem genesiacam de lapsu protoparentum et Lucae de annuntiatione — indicabit imprimis epistolam S. Pauli ad Romanos; non licebit vero ei ad Gen 3,15 recurrere, cuius interpretatio in scriptis S. Irenaei pro hac re fundamentum non praebet.

---

<sup>50)</sup> Nostra versio latina sequitur versionem anglicam in PO 12, 684s. a TER-MEKERTTSCHIAN et S. G. WILSON confectam, quae ceteris versionibus videtur accuratior esse. In ista editione divisio in capita hoc loco paulo recedit a divisione ab A. HARNACK in TU 31 inducta, nam prior pars c. 34 ad c. 33 transfertur, quod in supra citato textu suo loco indicamus.

Denique non minimi momenti est, quod in antithesi „Eva — Maria“ proponenda Irenaeus Iustinum inspiratorem habuit. Et quidem generalis dependentia Irenaei a Iustino, in specie quoque a *Dialogo cum Tryphone Iudaeo*, est sufficienter probata et admissa <sup>51)</sup>. Inter alia ipsa centralis idea doctrinae Irenaei de opere Redemptionis, nimirum ἀνακεφαλαίωσις (*recapitulatio*), videtur esse hausta e Iustino, nam ipse Irenaeus testatur Iustinum in deperdito opere contra Marcionem illud vocabulum eodem sensu adhibuisse <sup>52)</sup>. Quod vero antithesim „Eva—Maria“ attinet, notandum est Irenaeum eadem ad amussim elementa efferre, quae a Iustino allata sunt, nimirum: Eva virgo a serpente, Maria Virgo ab angelo sermonem accepit; Eva virgo inobediens erat, Maria Virgo obedivit; Eva virgo sua inobedientia facta est causa mortis, Maria Virgo sua obedientia genus humanum a morte salvavit. Irenaeus quidem ideas illas fusius quam Iustinus evolvit, sed nihil novi addit praeter illud forte, quod Eva, seducta ab angelo, effugit Deum, Maria vero, ab angelo evangelizata, portavit Deum. Itaque Irenaei dependentia a Iustino in antithesi „Eva — Maria“ ponenda negari non potest.

Consideratis omnibus, quae de antithesi „Eva — Maria“ apud Irenaeum disseruimus, possumus, quantum ad rem nostram, sequentes conclusiones deducere:

1<sup>o</sup> In omnibus tribus Irenaei antithesibus „Eva — Maria“, nimirum *Adv. haer.* III,22,4; V,19,1; *Ad demonstr. apost. praed.* 33, nullum adest elementum, quod e Gen 3,15 venire probetur, immo aliquod elementum deest, quod exspectari debuit, si illa antithesis necessario nexu cum Protoevangelio necteretur.

2<sup>o</sup> Antithesim „Eva — Maria“ construit Irenaeus dependenter ab antithesi „Adam — Christus“, prout a S. Paulo in epistula ad Romanos est proposita et ab ipso Irenaeo evoluta ac cum idea „recapitulationis“ coniuncta.

<sup>51)</sup> Cf. BARDENHEWER, 1, 407.

<sup>52)</sup> IV, 6, 2. Cf. J. WERNER, op. cit. 107; F. VERNET, *Irenée (Saint)*, in *DTC* 7, 2514.

3<sup>o</sup> Inspiratorem vero in antithesi „Eva — Maria“ ponenda habuit Irenaeus Iustinum, qui sensum christo-mariologicum Gen 3,15 prorsus non noverat.

4<sup>o</sup> E praedictis sequitur Irenaei antithesim „Eva — Maria“, a dependentia et quocumque necessario nexu cum Proto-evangelio esse prorsus immunem.

### III. EPIPHANIUS.

Textum Epiphanii (ca 315—403), qui habetur in expositione et refutatione haeresis 78, dictae Antidicomarianitarum<sup>53</sup>), denuo examinavit T. Gallus atque eum, ampliore contextu adducto, plenius elucidavit<sup>54</sup>).

Nonnulli Antidicomarianitarum ausi sunt asserere B. Mariam Virginem, Christo in lucem edito, matrimonio cum suo sponso Ioseph usam esse. Epiphanius in epistula ad fideles in Arabia degentes scripta, quam in extenso allegat, postquam alia argumenta ad istam blasphemiam refellendam protulit, n.17 e testimoniis Novi Testamenti ostendit sanctum Ioseph non cognovisse Mariam Virginem ante partum. De posteriore vero tempore ita ait (secundum textum graecum): „Postquam vero peperit [Maria], agnovit [Ioseph] divinum honorem, quia illa erat, quae audiverat: Ave, gratia plena, Dominus tecum“<sup>55</sup>).

Nunc sequitur n.18 antithesis „Eva — Maria“, quae secundum analysim a P. Gallus peractam<sup>56</sup>) est quadripartita. Nimirum:

1<sup>o</sup> Eva v i v e n t i u m mater est appellata (Gen 3,20), et quidem peccato iam admissio; ab ea enim totius humani generis origo ducitur. Sed „a Maria Virgine v i t a ipsa est in mundum introducta, ut et Viventem pariat et viventium Maria sit mater“<sup>57</sup>).

<sup>53</sup>) *Panarion seu Adversus haereses*, l. 3, haer. 78, n. 18s. MG 42, 729—732); in ed. K. HOLL (GChr S 37), III, 1933, 469s.

<sup>54</sup>) GALLUS 18—21.

<sup>55</sup>) MG 42, 727 s. B.

<sup>56</sup>) Op. cit., 18—21.

<sup>57</sup>) MG 42, 727 s. C.



2° Ad utramque feminam refertur illud dictum secundum versionem LXX: „Quis dedit mulieri sapientiam aut variegandi scientiam?“ (Iob 38,36). Evae sapientia in eo apparet, quod „Adamo, quem ipsa nudaverat, a s p e c t a b i l i a quaedam v e s t i m e n t a contexuit“. At Maria agnum nobis genuit, „cuius ex splendore ac gloria tamquam e vellere, per eiusdem virtutem i m m o r t a l i t a t i s nobis v e s t i s sapienter est confecta“<sup>58)</sup>.

3° „Eva generi hominum, c a u s a m m o r t i s a t t u l i t, per quam mors est in orbem terrarum invecta; Maria v i t a e c a u s a m praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta“. Et quidem morti e m u l i e r e ortae v i t a e m u l i e r e quoque nata successit<sup>59)</sup>.

4° Eva v i r g o i n o b e d i e n t i a Deum offenderat, a Maria v i r g i n e vero gratiae propria o b e d i e n t i a manavit, postquam de incarnatione Verbi nuntium accepit. Hunc textum tamen ac subnexam explicationem Gen 3,15 satius est ad verbum afferre (secundum versionem Petavii in editione Migne):

„Quoniam vero cum adhuc virgo in hortis Eva degeret, per contumaciam apud Deum offenderat, ideo gratiae propria ab Virgine manavit obedientia, postquam circumfusi corpore Verbi sempiternaeque vitae de caelo est nuntiatus adventus. Nam illic ita serpentem Deus alloquitur: *Inimicitiam ponam inter te et illam; inter semen tuum et semen illius*. Atqui nusquam eiusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quam cum huius stirpe serpens ille, et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet. (19) Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam universa nequeunt; sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, quae ab sola Virgine Maria, sine ulla viri consuetudine, propagata est,

<sup>58)</sup> Ibid., 727—730.

<sup>59)</sup> Ibid., 729 s. A.

reipsa ac penitus impletur. Hic enim illius filius ad extinguendam serpentis ac tortuosi colubri fugacisque vim ac potentiam, qui se totum orbem terrarum dominatu suo comprehendisse iactabat, ad haec infima descendit. Propterea unicus e muliere Dei Filius processit, ut serpentem, hoc est impiae doctrinae corruptelam, ac fraudem, et errorem, ac pravitatem everteret. Hic est, qui revera uterum matris aperuit (Exod 13,2). Nam quotcumque primogeniti illum antecesserant, ut honestissime dicam, istud ipsum efficere nequiverunt, sed solus hoc unicus Dei Filius obtinuit, in quo, caeteris exclusis omnibus, illud est perfectum<sup>60)</sup>.

Circa ipsam quadripartitam antithesim illud primum observandum occurrit, quod Epiphanius in ea proponenda multo magis independens est quam Irenaeus, qui presse Iustini vestigia sequitur. Et quidem prorsus nova, i.e. neque a Iustino neque ab Irenaeo notata, est antithesis primo loco posita inter matrem viventium et matrem vitae ipsius; similiter secunda, valde artificiosa antithesis inter vestimenta aspectabilia, ab Eva ad tegendam externam nuditatem Adami contexta, et vestem immortalitatis, e vellere Agni de Maria geniti nobis confecta. Tertia et quarta antithesis verisimiliter veniunt ex Irenaeo, cuius antignosticum opus inter principales fontes *Panarii* numeratur<sup>61)</sup>. Tamen hic quoque aliquid novi videtur Epiphanius afferre, nam cum quarta antithesi connectit Gen 3,15, quod apud praecedentes Patres non est notatum. Hoc tamen factum indiget paulo accuratiore investigatione.

Secundum ea, quae supra exposita sunt, in nostra quaestione non tanti interest, utrum aliquis Pater materialiter iungat Gen 3, 15 antithesi „Eva — Maria“ necne, quam utrum inter haec duo nexum causalem aut alio modo necessarium statuatur, ita ut antithesis illa sine relatione ad Gen 3, 15 cogitari et existere non possit. Hoc tamen in nostro casu certissime non ob-

<sup>60)</sup> Ibid., 729—730.

<sup>61)</sup> Cf. BARDENHEWER, 3, 298.

tinet. Nam primo evidens est Epiphanium tres priores partes antithesis neque explicite neque implicite connectere cum Protoevangelio; et vel inde iam sequitur antithesim „Eva — Maria“ qua talem etiam apud Epiphanium independentem a Gen 3, 15 potuisse oriri.

Quod vero quartam partem attinet, si textus Gen 3, 15 eam aliquo modo logice complet, huius textus connexio cum antithesi est nihilominus prorsus secundaria. Nam omnia illa, quae oppositionem hoc loco efficiunt, nimirum inobedientia Evae virginis in paradiso et obedientia Mariae Virginis ad vocem Angeli, hauriuntur tamquam e propriis fontibus e narrationibus Genesis de lapsu et Evangelii S. Lucae de annuntiatione, ita ut Gen 3, 15 nihil novi ei addere potuerit.

Attamen etiam eiusmodi nexus logicus, ut modo notatus est, inter antithesim et allegatum textum Gen 3, 15 est prorsus negandus. Iam Fr. Drewniak asseruerat Epiphanium terminasse hoc loco (i. e. cum verbis „... de caelo est nuntiatus adventus“) antithesim „Eva — Maria“ et ad aliam rem tractandam gressum fecisse<sup>62)</sup>. Cui sententiae egomet assensum praebui in articulo „*Egzegetyczne podstawy*“<sup>63)</sup>. Nunc vero contra P. Drewniak T. Gallus sustinet incisum cum Gen 3, 15 antithesim sequens non esse „aliquam novam intentionem ab antithesi independentem, sed eidem omnino subordinari“, quod conatur probare e contextu antecedente et consequente. Concludit vero hisce verbis: „Tota ergo eius [Epiphanii] argumentatio ex Protoevangelio, habet specialem finem, demonstrare nempe, „mulierem“ illam esse virginem, et quidem non Evam, sed B. Mariam; illam concipere virginaliter; finem vero generalem, demonstrare honorem B. Virginis, propter quem eam B. Ioseph etiam post partum non cognovit“<sup>64)</sup>. Equidem puto argumenta a P. Gallus adducta assertum P. Drewniak non labefactare,

<sup>62)</sup> DREWNIAK, 38.

<sup>63)</sup> 103.

<sup>64)</sup> GALLUS, 20 s.

e contrario vero analysim a P. Gallus peractam viam sternere ad illud assertum firmum et certum reddendum.

In antecessum liceat notare ratiocinium Epiphaniai non ubique esse sufficienter perspicuum et stringens, atque digressionibus abundare, quae nexum idearum disrumpunt<sup>65)</sup>. Quod nostrum locum attinet, textus Gen 3, 15 connectitur quidem syntactice cum ultima parte antithesis ope particulae γάρ: „N a m illic ita serpentem Deus alloquitur...“. Si tamen particula ista sensum causalem supponitur habere, non apparet, quid proprie velit Epiphanius probare. Certo non illud, quo B. V. Maria formaliter hoc loco Evae opponitur, obedientiam dico, quia textus est ad hoc ineptus neque in sequentibus ulla amplius allusio fit ad hanc B. Virginis virtutem. Restat tantum virginitas, illa scil. proprietates, quae inter utramque oppositam feminam relationem similitudinis in ipso actu obedientiae seu inobedientiae efficit. Sed virginitas Mariae in momento annuntiationis clare et sufficienter enuntiatur a S. Luca in loco, qui Epiphanio est certus fons biblicus ad hanc antithesim statuendam<sup>66)</sup>, ut supra diximus. E contrario vero Gen 3, 15 ad hunc finem est proprie ineptus, nam etiam admissa sententia Epiphaniai de sensu locutionis „semen mulieris“ (= semen s o l i u s mulieris), primo textus ille non respicit momentum annuntiationis, secundo nullo modo agit de statu virginitatis Mariae, sed de virgineo partu seu stricte de conceptione, quae sine cooperatione viri est peracta.

Proinde assentiendum esse videtur P-i Drewniak, particulam γάρ induere hoc loco aliquam significationem extenuatam, quae ei ceterum nativa est, ut v. g. „certo“<sup>67)</sup>. Quod si admittitur, nexus cum praecedentibus fit laxior, immo eiusmodi est, qui finem antithesis et transitum ad alia tractanda

<sup>65)</sup> Cf. BARDENHEWER, 295.

<sup>66)</sup> Lc. 1, 27.

<sup>67)</sup> Cf. MENGE-GÜTHLING, Griechisch-deutsches und deutsch-griech. Wörterbuch, I<sup>4</sup>, 1913, p. 143: „γάρ [entst. aus γέ ἄρ = wenigstens also]...: 1. (versichernd oder bestätigend) sicherlich, gewiss, allerdings, freilich; 2. (begründend) denn, ja; 3. (erklärend) nämlich“.

implicare possit. Utique illa „alia“, ad quae transitus fit, non sunt argumento epistolae et in specie argumento huius incisi, de quo agimus (nn. 17—19), extranea, sed immo plane cum eo consonant. Qua in re agnosco conclusionem ratiocinii P-is Gallus et quae recta esse videntur in eius expositione, sic applico.

Epiphanius sub finem n. 17 asseruerat sanctum Ioseph post virgineum partum B. V. Mariae agnovisse honorem divinitus illi collatum <sup>68)</sup>. Gallus dicit ad hunc praecise honorem illustrandum inservire antithesim, quae immediate subnectitur. Hoc est quidem aliquo modo verum, sed Epiphanius certo certius imprimis illum honorem intendit, de quo per plures iam versus eius decurrerat sermo et qui Mariae contigit ex eo, quod excellenti gratia donata prodigioso modo genuit Filium, primogenitum omnis creaturae, per quem creatura est producta; quae omnia tamquam compendio continentur verbis Archangeli: „Ave, gratia plena, Dominus tecum“ <sup>69)</sup>.

Epiphanius nimirum explicat sensum verborum „et non cognoscebat illam“ (Mt 1, 25), quae verba accipit non in significatione sexuali (ut solet intellegi), sed in significatione pure intellectuali. E textu graeco ita haec verti possunt:

„*Et non cognoscebat illam.* Unde enim sciret tantum gratia e mulieri esse conferendum? Aut unde sciret tali gloria virginem esse honorandam? Mulierem quidem eam noverat esse formatam et feminei sexus natura, atque ab Anna matre et Ioachimo patre genitam, Elizabethae cognatam, e domo et familia Davidis; non noverat vero tali gloria honorandam esse (τοιούτην δόξαν τιμηθήσεται) in terra, maxime mulierem. Itaque non novit eam, donec prodigium vidit. Non novit eius prodigium, donec vidit illud, quod ex ea natum est. Postquam vero peperit, agnovit tunc divinum

<sup>68)</sup> Vide textum supra.

<sup>69)</sup> Ibid., 727 s. AB.

h o n o r e m (τὴν τοῦ Θεοῦ τιμὴν), quoniam illa est, quae audivit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*<sup>70)</sup>.

Nemo non videt, quam apte ille „honor“ hic ponatur quae ratio, cur S. Ioseph deinceps quoque abstinerit a maritali cum sua uxore commercio; noluit nimirum tangere illam, quae prodigioso modo foecundata Auctorem naturae genuerat. Quae vero in subnexa antithesi „Eva — Maria“ enumerantur, illustrant quidem excellentiam B. V. Mariae, sed cum principali argumento laxiorem nexum habent et nonnisi abundantiae cuiusdam gratia afferuntur. Cum nempe tam insignis B. V. Mariae cultor, ut Epiphanius, de eius celsitudine loqui coepisset, sibi temperare non potuit, quin in profluentem laudum erumperet, quamquam contextus id non postulabat; quod tamen supra notata inclinatione Epiphanii ad digressiones faciendas facile explicatur.

Redeamus nunc ad transitum inter istam antithesim et sequentem expositionem Gen 3, 15. Antithesis illa, per quattuor partes ab Epiphanio evoluta, ad narrationem genesiacam de paradiso terrestri aciem eius mentis direxit. Ibi vero invenit Epiphanius aliquem textum, Protoevangelium dico, qui bene aptari potuit eius argumento principali, quippe in quo „semen mulieris“ ei virgineum partum demonstrat, de quo immediate ante inceptam antithesim disseruerat. Hunc itaque textum, lege associationis idearum in mentem adductum, Epiphanius statim arripit, ut ad interruptum argumentum redeat, ad illum nimirum divinum honorem enarrandum, qui Sto Ioseph motivum fuit coniugem suam intactam servandi. Quia tamen textus Gen 3, 15 ideam istam clare non exprimit, immo neque indubitanter videbatur ad B. V. Mariam referri, Epiphanius cogitur de istis plura disserere<sup>71)</sup>. Sed re in tuto posita, ad inceptum propositum redit et n. 20 recolit, quomodo Ioseph Mariam post virgineum partum „cognoverit“: quod nimirum agnoverit ho-

<sup>70)</sup> Ibid., 727 s. B. Quod Christus natus omnis creaturae sit primogenitus et omnia per eum sint facta, dixerat Epiphanius paulo superius (727 s. A).

<sup>71)</sup> Ibid., 729—732.

norem ei a Deo collatum. Quia Deus honoravit Mariam eo, quod eam parere fecit virginitate intacta servata, S. Ioseph istum honorem agnoscens virginitati coniugis suae nullum detrimentum intulit <sup>72)</sup>).

E dictis clarum fit:

1<sup>o</sup> incisum, quo Gen 3, 15 ab Epiphanio explicatur, arcte cohaerere cum argumento generali huius capituli (Haeresis 78), quod a T. Gallus bene probatum est;

2<sup>o</sup> sermonem in eo redire ad eandem ideam, quae immediate ante antithesim est evoluta;

3<sup>o</sup> e contrario incisum istud non continuare logice illa, quae in antithesi, specialiter in quarta eius parte habentur, sed per legem associationis idearum illa antithesi suggeri;

4<sup>o</sup> ipsam antithesim laxo tantum nexu iungi antecedenti contextui et cuiusdam abundantiae gratia poni atque elementum constituere, quo progressus idearum retardatur, immo connexio aliquomodo distrahitur.

Inde fine finali concludimus nullum nexum necessarium adesse apud Epiphanium inter antithesim „Eva — Maria“ et textum Gen 3, 15, sed illum tantum, qui lege associationis idearum innitur, quod nimirum oppositio inter Evam et Mariam, eo quod ad paradysum mentem direxit et virginitatem Mariae in medio posuit, occasionem dedit auctori de illo textu genesiaco cogitandi, qui secundum eius interpretationem de partu virgineo Mariae agit, ut sic tandem aliquando ad interruptum per antithesim sermonem redeat.

Abstineo ab eo, ut ipsam Epiphanii interpretationem Gen 3,15 analysi subiiciam, cum hoc alibi abundanter fecerim <sup>73)</sup>. Liceat tantum contra illas conclusiones, quae supra e libro P. Gallus allatae sunt, notare Epiphanium textum genesiacum non de sola B. V. Maria et de Christo interpretari,

<sup>72)</sup> Ibid., 731 s. A.

<sup>73)</sup> Egzegetyczne podstawy, 102—105.

sed de Eva quoque eiusque progenie, et quidem in sensu litterali translato quamquam diminuto <sup>74)</sup>.

#### IV. C h r y s i p p u s .

Chrysippi, Hierosolymorum presbyteri (+ 479), oratio in Sanctam Mariam Deiparam <sup>75)</sup> continet antithesim „Eva — Maria“ <sup>76)</sup>, quae allegatur a T. Gallus <sup>77)</sup>. In textu, quem subnectimus, litteris spatiatas necnon numeris uncis inclusis notamus illa elementa antithesis, quae a P. Gallus efferuntur:

„Quaenam igitur, quaenam verisimile est humani generis hostem secum loqui, dum videt nos nunc per mulierem revocatos ad pristinam filiorum adoptionem? Nonne haec dicit repetitque querens: Qui fit, ut (1) instrumentum quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi adversetur? (2) Mulier mecum effecit, ut in genus humanum tyrannidem occuparem, et mulier me e tyrannide deturbavit. Antiqua Eva me exaltavit et nova deiecit. Eva enim est secundum naturam haec quae nunc est, licet non Eva secundum generandi modum. Quae enim mulier possit edere partum adeo incredibilem, vel concipere, quin ulli corruptioni coitus subiecta fuerit? Mater effecta est citra solutionem virginitatis; lac obtulit, quin nuptias noverit; infantem enutrivit, et infantis pater in terra nullus. Merito igitur ab eo qui naturam tantae innovationi subiecit res meae immutatae sunt, et (3) per eam quam in servitutem redegi, in servitutem redactus sum; (4) per eam quam vici, victus sum. (5) Ego vero frustra in eam moliebar insidias, etiam ipsi Ioseph suadens ut de ea male suspica-

<sup>74)</sup> Ibid.

<sup>75)</sup> *Homéliez Mariales byzantines*, textes grecs édités et traduits en latin par Martin JUGIE, in PO 19, 1926, 336—343.

<sup>76)</sup> Ibid., 340—341.

<sup>77)</sup> GALLUS, 24 s.



retur; et consilium ei subieci, ut occulte eam dimitteret, ut hac ratione declararet ex adulterio factam fuisse conceptionem. Adstans autem ei per somnum angelus, revelavit ei aperte quod habebat in conceptione mysterium. At vero quantum mihi tempus sufficere possit ad prosequendum verbis (6) **q u i b u s m o d i s t r i u m p h a v e r i t d e m e q u i p a r t u m e x e a s u s c e p i t**, et in his quae attendebam deprehensus sim, et his quae impugnabam pudefactus, dum ab ipsis, qui mecum sunt, daemonibus frequenter audirem ipsum appellari Dei Filium? Eripuit mihi cunctos variis morbis laborantes; eripuit omnes a malignis spiritibus perturbatos; eripuit eos quos et ipsi morti tradidi. Tandem meis consiliis in crucem ipsam actus, multo maiore me verecundia perfudit, et mecum rursus mortem, dum e cruce universa quae sunt in terra concussit, a sepulchro patefaciens omnia quae sub terra iacebant, **d e c e r p e n s t a m m e h i c, q u a m m o r t e m i b i**, resurgentibus cum eo mortuis. Horum igitur omnium, quae mihi causa est? Quae alia praeter eam, quae miraculorum eiusmodi opificem genuit? Profecto praestabat mihi, ut antiquam illam Evam non inducerem in dolum; satius erat mihi etiam per serpentem eam non decipere. Quid enim mihi lucri accessit ex circumventionem, si quidem eos quos in servitutem redegi, modo video priscam libertatem recipere, immo vero, una cum praecedente libertate, et ipsius etiam haeredes fieri regni caelorum?“

P. Gallus asserit Chrysippum in oratione ista implicite alludere ad Protoevangelium in forma antithesis „Eva — Maria“, et quidem eo modo, ut numeri 1—4 ad Gen 3,15a, numeri vero 5—6 ad v. 15b alludant. Et concludit: „Tota haec interpretatio nihil aliud est quam oratoria expositio antithesis „Eva — Maria“ Protoevangelio innixae“<sup>78)</sup>.

In isto iudicio magni momenti est illud, quod nonnisi **i m p l i c i t a a l l u s i o** ad Protoevangelium supra allato textui Chrysippi adscribitur. Implicite vero allusio eiusmodi

<sup>78)</sup> Ibid., 25 s.

esse solet, ut eius existentia difficile probetur et magna ex parte a subiectiva inclinatione iudicantis pendeat. Et ex hoc iam capite in nostra quaestione, in qua de solido fundamento agitur, quo assertum P. Gallus de connexionem omnis antithesis „Eva — Maria“ apud posteriores scriptores cum Protoevangelio nitatur, argumentum ex allato textu Chrysippi nullius est valoris.

Certo illa implicita allusio non acquirit maius robur ex eo, quod in textu est sermo de „muliere“, quae promiscue stat pro Eva aut pro B. V. Maria. Nam nomen hoc non necessario venit e Gen 3,15, sed requiritur a contextu et constructione huius antithesis. Dixerat enim Chrysippus: „Est Deus qui natus est, sed ex muliere naturam habet humanam“. Hoc assertum innititur Gal 4,4, quem textum Chrysippus statim allegat et oratorio modo explicat:

„Misit enim Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut filiorum adoptionem reciperemus. Haec Pauli verba dicentis convenientia cum his quae ab Isaia dicta sunt<sup>79)</sup>, audiamus. O propositum omnem superans sermonem: ut ego efficiar filius Dei, Unigenitus Filius Dei factus est ad similitudinem meam. Ad similitudinem meam dico, participatione carnis, in qua tamen nulla est communicatio peccati“<sup>80)</sup>.

Duae ideae efferuntur hic a Chrysippo: 1. Quod per mulierem Filius Dei factus est consors nostrae naturae, 2. et quidem eo fine, ut nos adoptionem filiorum reciperemus, quam amiseramus (Gal 4, 4). Quae nunc sequitur antithesis „Eva — Maria“ non est aliud, nisi oratoria amplificatio et iustificatio illarum duarum idearum, in quantum Deiparam Virginem spectant; nam totus sermo in eius honorem est compositus. Et quidem in prima iam propositione, quae argumentum totius sequentis antithesis quasi in nucleo continet, utraque idea clarissime exprimitur: „Quaenam igitur, quaenam verisimile est humani ge-

<sup>79)</sup> Is 7, 14, de quo textu Chrysippus immediate antea disseruerat.

<sup>80)</sup> PO 19, 340.

neris hostem secum loqui, dum videt nos nunc per mulierem revocatos ad pristinam filiorum adoptionem?“ Inde explicatur, cur nomen mulieris detur Mariae et ex opposito Evae per totum decursum antithesis; et cur in tota antithesi sit sermo de dominatione diaboli super homines per mulierem inducta et per mulierem, utique mediante eius prole<sup>81)</sup>, destructa, ut nimirum in adoptionem filiorum iterum recipemur, quod in ultima propositione denuo, cum quadam circumlocutione, in mentem revocat Chrysippus: „Quid enim mihi lucri accessit ex circumventionem, si quidem eos quos in servitutem redegi, modo video priscam libertatem recipere, immo vero, una cum praecedente libertate, et ipsius etiam haeredes fieri regni caelorum?“

Itaque non solum nomen mulieris datum Mariae (et Evae), sed etiam tota antithesis secundum suam principalem ideam explicatur sufficienter e Gal 4, 4 qui textus proinde praecipuus fons biblicus huius antithesis dici debet.

Quod vero attinet particulares illas sic dictas allusiones ad Gen 3, 15, occurrit in oratione Chrysippi aliquid, quod eis omne fundamentum demit. Nimirum inter elementa antithesis „Eva — Maria“ habetur unum, quod non est notatum a P. Galus, etsi summopere hoc meretur, quia dum alia elementa proprie unam eandemque ideam exprimunt vario modo praesentatam, hoc addit aliquid novi: „Eva enim est secundum naturam haec, quae nunc est, licet non Eva secundum generandi modum. Quae enim mulier possit edere partum adeo incredibilem, vel concipere, quin ulli corruptioni coitus subiecta fuerit? Mater effecta est citra solutionem virginitatis etc.“<sup>82)</sup>.

---

<sup>81)</sup> Cf. „Merito igitur ab eo, qui naturam tantae innovationi subiecit [per virgineum partum], res meae immutatae sunt“. „Quibus modis triumphaverit de me qui partum ex ea suscepit“. „Horum igitur omnium quae mihi causa est? Quae alia praeter eam, quae miraculorum eiusmodi opificem genuit?“ Ibid.

<sup>82)</sup> Ibid., 341.

Liceat nobis hoc modo arguere: Si verum est illud, quod P. Gallus dicit, illam nimirum sermonis Chrysippi partem, quam initio allegavimus, nihil aliud esse quam oratoriam expositionem antithesis „Eva — Maria“ *Protoevangelio in nixa e*<sup>83)</sup>, istud quoque quod modo attulimus elementum, i. e. virginea conceptio et partus, quo B. V. Maria a prima Eva differt, ex eodem Protoevangelio repeti debet, e locutione dico „semen mulieris“; eo vel magis, quod Chysippus in tali istius locutionis interpretatione praecursores habuit duos insignes Patres graecos: Irenaeum<sup>84)</sup> et Epiphanium<sup>84)</sup>, necnon Isidorum Pelusiotam<sup>85)</sup>, quorum opinionem debuit nosse<sup>86)</sup>.

Attamen haec evidens, ni fallor, conclusio ab ipso Chrysippo abolitur. Nam paulo superius in eadem oratione in Sanctam Mariam Deiparam disserens de virgineo partu Mariae allegat Chrysippus classicum argumentum e Vetere Testamento: Is 7, 14 „Ecce virgō in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel“, ac statim subdit, interpretans illum nuntium prophetae: „Nunc *p r i m u m*, inquit, vobis revelo mysterium quale non viderunt anteriores generationes, immo vero quale ne ipsa quidem lex naturae novit. Ostendito mihi virginitatem et conceptionem; ostendito mihi partum, nullis demonstratum nuptiis“<sup>87)</sup>. Si Isaias *p r i m u s* illud mysterium generationis virgineae Messiae annuntiavit, sine ullo dubio secundum Chrysippum in Gen 3, 15 nullus de eo est sermo. Quod si verum est, consequenter non solum illud incisum *a n t i t h e s i s* de virgineo partu non nititur testimonio Gen 3, 15, sed etiam, vi connexionis huius incisi cum tota Chrysippi antithesi „Eva — Maria“, idem de tota antithesi dicendum est.

<sup>83)</sup> GALLUS, 26.

<sup>84)</sup> Cf. superius.

<sup>85)</sup> + ca 435, *Epistolarum* l. 1, ep. 426 (MG 78, 417 s.).

<sup>86)</sup> Omitto hic e latinis Patribus S. CYPRIANUM (+ 258), *Testimoniorum ad Quirinum* l. 2, c. 9 (ML 4, 732 s.).

<sup>87)</sup> PO 19, 340.

Utique non idem gradus certitudinis competit isti asserto relate ad incisum de virgineo partu ac relate ad reliquam antithesim. Attamen cum unum elementum antithesis, quod speciem dependentiae a Gen 3, 15 prodere videri potuit, sine ullo dubio ab illa dependentia probatum sit esse prorsus immune, ius est nobis cum omni securitate asserere idem valere quoque pro ceteris antithesis elementis, quae simul cum eo in unum compactum totum coalescunt; eo magis, quod Chrysippus certo non omisisset, vel pro oratorio effectum, expresse illum textum allegare, si eo inniteretur, prout fecit cum aliis textibus Scripturae, ut v. g. cum Is 7, 14.

Si Chrysippi antithesis „Eva — Maria comparatur cum analogis antithesibus eius praecursorum, comprehensive illa dicenda est pauperior istis, nam Chrysippus proprie unam tantum ideam evolvit, quam primum generali modo proponit („instrumentum quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi adversatur“), deinde vero quattuor diversis modis amplificationis oratoriae causa specificat: 1. „mulier mecum effecit, ut in genus humanum tyrannidem occuparem, et mulier me e tyrannide deturbavit; 2. „antiqua Eva me exaltavit, et nova deiecit“; 3. „per eam quam in servitute redegi, in servitute redactus sum“; 4. „per eam, quam vici victus sum“. Oppositio inter Evam secundum naturam (quod Mariae competit) et Evam secundum generandi modum (quod non congruit Mariae) est tantum inserta in priorem antithesim, ut supra diximus. Duo alia vero elementa, quae notantur, a P. Gallus („ego vero frustra in eam moliebar insidias“; „quibus modis triumphaverit de me qui partum ex ea suscepit“), licet sequantur antithesim „Eva — Maria“, eam tamen non constituunt neque ratione formae neque ratione rei ipsius.

Porro illa idea, quam diximus principalem, eadem est, quae occurrit in antithesi apud Iustinum, Irenaeum, Epiphanium, in quantum res est de respectivis partibus Evae et Mariae. Differentia est in eo, quod apud praefatos Patres Eva apparet qua causa mortis, Maria qua causa vitae aut salutis,

apud Chrysippum vero Eva est instrumentum per quod diabolus dominationem obtinet super homines, Maria est illa, per quam diabolus (et mors — uno loco) illa dominatione privatur. Ista differentia ex eo provenit, quod Chrysippus diabolum loquentem inducit, qui utique se ipsum qua principalem agentem et patientem exhibet.

Cetera elementa antithesis, quae cum tanta diligentia excoluntur a praecursoribus Chrysippi atque quandem notam profunditatis ei tribuunt, desunt apud nostrum auctorem, qui praefert unam ideam amplificando evolvere. Illi auctores nempe agunt potius ut theologi, Chrysippus vero orator est pleno ore.

Est tamen aliquid, quo Chrysippus ditat antithesim traditionalem, nimirum nomen „novae Evae“ datum Mariae<sup>88)</sup> cum coniuncta oppositione inter naturam et modum generandi. Hoc elementum apud nullum praefatorum Patrum comprehenditur antithesi „Eva — Maria“. Elementum hoc non inniti Gen 3, 15 probavimus supra.

Colligamus conclusiones, quae e nostra discussione fluunt:

1<sup>o</sup> Chrysippus in sua antithesi „Eva — Maria“ evolvit illam ideam, quam invenit in Gal 4, 4, innixus narratione genesiaca de lapsu protoparentum et principio „retorsionis“ divinae, noto ex operibus praecedentium Patrum.

2<sup>o</sup> Elementum principale antithesis non differt quoad rem ab uno elementorum, quae a Iustino, Irenaeo et Epiphanio sunt exculpta, sed modo oratorio proponitur et aliquam differentiam patitur ideo, quod in ore diaboli est positum.

3<sup>o</sup> Antithesim praefatorum Patrum ditat Chrysippus nomine „novae Evae“ dato Mariae cum coniuncta oppositione inter naturam et modum generandi.

4<sup>o</sup> Hoc secundarium elementum antithesis certo certius nullo modo innititur Protoevangelio. Consequenter ad hoc et consequenter ad ea, quae de antithesi praecursorum Chrysippi

---

<sup>88)</sup> Non affirmamus Chrysippum primum fuisse, qui hoc nomen Mariae dedit.

novimus, idem est dicendum de elemento principali ac de iis, quae antithesim ipsam immediate sequuntur; certo vero nullus nexus necessarius adest inter totam antithesim Chrysippi et Gen 3, 15.

#### CONCLUSIO.

Proposuimus nobis inquirere, qualisnam nexus intercedat inter antithesim „Eva — Maria“ et Protoevangelium apud quattuor Patres: Iustinum, Irenaeum, Epiphanium, Chrysippum; sitne ille causalis aut alias necessarius, vel forte nullus.

Inquisitione peracta compertum est ultimum membrum dilemmatis esse unice verum. Iustinus enim non solum nullum nexum admittit inter antithesim et Gen 3, 15, sed neque omnino novit sensum christo — mariologicum huius textus. Argumentum mariologicum eius antithesis innititur tantum Evangeliiis, argumentum vero christologicum alludit immediate ad 1 Io 3, 8.

Irenaeus eo differt a Iustino, quod admittit interpretationem christo-mariologicam Protoevangelii. Attamen in omnibus tribus locis, in quibus antithesim „Eva — Maria“ proponit, neque Gen 3, 15 allegatur, neque adest quidquam, quo probetur, antithesim hanc Protoevangelio inniti, deest vero aliquod elementum, quod expectari debuit, si nexus necessarius adesset. Ex altera parte manifesta est dependentia antithesis „Eva — Maria“ ab antithesi „Adam — Christus“, prout a S. Paulo in epistula ad Romanos est proposita et ab ipso Irenaeo evoluta ac cum idea „recapitulationis“ connexa. Haec proinde sunt, quibus Irenaei antithesis „Eva — Maria“ innititur, nulla habita ratione Gen 3, 15.

In textu Epiphanii illud est novum, quod antithesim „Eva — Maria“ materialiter quidem sequitur immediate textus Gen 3, 15, quem auctor mariologico modo interpretatur. Attamen praeter illam materialem connexionem, quae lege associationis idearum explicatur, nullus nexus logicus inter haec duo existit, sed potius incisum cum Gen 3, 15 continuat illam ideam, quae interiacente antithesi erat aliquomodo suspensa.

Chrysippus denique explicite quidem non allegat Gen 3, 15, implicite vero non probatur ad illum textum alludere. Immo in illo elemento antithesis, quod ei proprium est, sine ullo dubio est a Protoevangelio independens, non obstantibus apparentiis contrarium suadentibus; praesumptio autem stat pro eo, quod de altero elemento, communi cum antithesi praecursorum Chrysippi, omnino idem est dicendum.

Itaque constat quattuor illos Patres, qui soli dicebantur connexionis inter antithesim „Eva — Maria“ et Protoevangelium auctores esse, non tantum necessarium nexum inter illa non supponere, quod pro nostro scopo sufficeret, sed nullam prorsus logicam connexionem admittere. Quod si verum est, omni fundamento caret sententia, quae dicit Iustini et Irenaei antithesim „Eva — Maria“, cum Gen 3, 15 connexam, esse fundamentum omnis interpretationis christologico — mariologicae huius textus, aut: in patristica antithesi „Eva — Maria“, etiam sine relatione ad Gen 3, 15 expressa, virtualiter latere interpretationem mariologicam Protoevangelii <sup>89)</sup>.

---

<sup>89)</sup> Postquam commentatio haec a Directore periodici *Collectanea Theologica* typographo commissa est, accepi commentationem J. MICHL, *Der Weibessame (Gen 3, 15) in spätjüdischer und frühchristlicher Auffassung (II)*, quae apparuit in periodico *Biblica* 33 (1952) 476—505 (fasc. 4). Auctor, qui valde caute et prudenter, sine ira et studio rem tractat, nan tangit quidem directe quaestionem, quae est obiectum proprium nostrae investigationis, in sensu vero „seminis mulieris“ apud Iustinum et Irenaeum determinando ad easdem fere ut nos conclusiones pervenit. De Iustino adhuc cum quadam haesitatione ait: „Allerdings fehlt ein klarer, formeller Beleg, dass der „Same des Weibes“ Gen 3, 15, der den Kopf der Schlange trifft, auf Christus gedeutet wäre; das geschieht dann nur wenige Jahrzehnte später bei Irenäus. Vor Iustinus ist aber weder ein unmittelbares noch ein mittelbares Zeugnis jener Erscheinung bekannt. So bildet Irenäus einen Übergang, mag nun diese Erscheinung darauf beruhen, dass vielleicht zufällig von ihm nur Werke ohne eine solche Äusserung erhalten geblieben sind, oder mag ihm tatsächlich diese Deutung noch fremd gewesen sein“ (Op. cit., 477—478). Puto illas rationes, quas supra exposueramus, sufficienter probare posteriorem illius dilemmatis partem certo admittendam esse. De Epiphania et Chrysippo Auctor silet.



Quamquam ille eventus nostrae investigationis est mere negativus, non est tamen destruens, sed aedificans, quia veritati aedificandae inservit. Sensus mariologicus Protoevangelii etiam sine talibus adminiculis demonstrari et defendi potest, prout alibi probavimus. Semper autem veritas offuscatur, si falsis rationibus defenditur.